Geschenk von Herrn Professor E. Desor aus Friedrichsdorf.

1864.

Dr. Schellenberg

ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAJESTATIS CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
NEC NON MEDICINÆ IN HAC ALMA ET ANTIQUISSIMA
UNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII,
SOCIETATIS SCIENTIARUM HAARLEMENSIS,
ET PHYSICO - BOTANICÆ FLORENTINÆ
SOCII,

PARS OCTAVA
RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO;
QUOD IN GRATIAM ET EMOLUMENTUM
MEDICINÆ STUDIOSORUM
CONDIDIT

MARIA THERESIA,

AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX,
HUNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.




VIENNÆ AUSTRIÆ,
SUMPTIBUS HERMANNI JOSEPHI KRÜCHTEN.

M. DCC. LXIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY






ELENCHUS CAPITUM.

CA-





CA-



CAPUT I.

VARIA DE SUDORIBUS IN MORBIS ACUTIS.

§. I. Hippocratica *tota nostra Methodus est.* §. II. *Longus* Hippocratis *textus ex* Progn. *limitatur, & suis exceptionibus traditur, ex ipso* Hipp. §. III. *Morbi nomina exemplo* Hipp. *quærenda.* §. IV. *Quæstio an sudor in ægra nostra 7. die contingens, Criticus esset, nec ne, utrinque agitatur. Quandonam ante sudorem criticum rigor præcedat oportet, quandonam non? Licet sudores optimi sint prægressi, nihilominus in alios morbos incidere ægri, imo & in mortem, possunt. Ea occasione exponuntur quidam textus* Hipp. *&* Gal. §. V. *Multi iterum textus* Hipp. *de sudoribus continuis aut frequentibus explicantur, tristique confirmantur exemplo.*

§. I. Hippocratis Methodus ea nostri Nosocomii est; Hippocratis est, quam ad Lectos ægrorum sequimur, norma: non proprie quia Ejus, sed quia purum est Naturæ studium, nullis aut innixum, aut sociatum Hypothesibus. Uti ad hoc demonstrandum plura specimina toties dedi, sic etiamnum, quo Medicinæ Studiosis hæc norma maneat alta mente reposta, & quo promissis, Tomo septimo de totius doctrinæ Hippocraticæ adornando compendio datis, stare incipiam, notabiliora quædam referam.

§. II. De sudoribus ad Lectos ægrorum frequens sermo est; qui, ut Hippocraticæ doctrinæ accommodandus, textum Prognost. Libri ut basin agnoscit. „ Sudores optimi quidem
„ per omnes morbos acutos, qui diebus judicatoriis contingunt, & pe-

„ ni-

„ nitus febre liberant. Boni vero
„ quicumque toto corpore orti, osten-
„ dunt ægrum facilius ægritudinem
„ ferre. Pessimi autem frigidi, qui-
„ que circa caput tantummodo, fa-
„ ciemque, & cervicem, oriuntur.
„ Ii namque cum acuta febre mor-
„ tem, cum mitiore vero morbi lon-
„ gitudinem, præsignificant: qui &
„ per totum corpus eodem modo,
„ quam secundum caput, fluunt.
„ Qui vero Milii formam referunt,
„ & circa Cervicem tantum pravi,
„ boni autem qui guttatim, & exha-
„ lantes, contingunt. Atque hoc
„ in totum de sudoribus animadver-
„ tendum est, quod nonnulli ex dis-
„ solutione corporum, alii vero ex
„ vehementia inflammationis orian-
„ tur. „ Et Coac. n° 572. „ Su-
„ dor optimus sane, qui febrem die
„ judicatorio tollit; utilis autem &

A 2 „ qui

„ qui allevat; malus vero frigidus, „ & ubi caput duntaxat, & cervix „ insudat. Nam & temporis diutur- „ nitatem & periculum denuntiat. „

Dum ad hunc textum doctrinam Clinicam accommodamus, semper memores sumus Legis ejusdem nostri in Arte Dictatoris, qua Naturæ aberrationes & exceptiones attendere caute jubeat, doceatque etiam bonis cum sudoribus morbos nonnunquam aut letales, aut longos, fieri; tum & defectum sudorum bonorum ita aliunde suppleri, ut & citum sequatur, & tutum judicium. His cautelis progressi, quousque Artis præcepta indubitata, quousque dubia *Hippocrates* eadem tradiderit, intelleximus. En porro exemplum.

Femina 26. annorum, febre continua acuta, una cum repetentibus sæpe doloribus capitis, atque pectoris,

ris, decumbens, die morbi quinto ad Nosocomium nostrum adducta est. Maculas subpurpureas paucas in pectore mox in illa deteximus, ad dorsum, in ventre. Subdubitantibus Medicinæ Studiosis num forte Pulicum morsus non forent, paulatim constitit ejuscemodi non esse: 1mo Quia sæpissime in morsu pulicum punctulum distinctum rubicundius reperitur, lætior in ambitu rubedo. 2do Quia sensim loca pallescunt, ut paucis postmodum horis, saltem die altera, aut vix, aut nulla, reperias vestigia. Nihil tale in hac ægra; nam & maculæ hæ integra, quam occupabant, plaga rubræ æquabiliter, & centro conspicuo carentes, nec ante diem morbi 12. evanidæ; an ad Petechias ergo referendæ?

§. III. Quærebatur morbi nomen? Acuta febris cum cephalalgia ad Phreni-

nitidem ſæpe referenda eſt, præſagitve ſaltem illam; eadem cum laterum dolore, ad Pleuritidem. At vero utriusque loci dolor, nec perſeverans, neque explens Pleuritidis aut Phrenitidis definitionem, relinquebat nobis acuti ſolam febris ideam. Igitur morbum vocavimus Febrim continuam putridam, imitati Magiſtrum, qui Epid. 1. hiſtoriam *Cleonactidis* ſic inſit: „ *Cleonactidem*, qui ſupra *He-*
„ *raclium* decumbebat, ignis, id eſt
„ febris ardens, vehemens ordine
„ vago prehendit: dolebat autem ab
„ initio capite & ſiniſtro latere. „
Quemadmodum igitur ille morbo, quem vagi capitis laterisque dolores ab initio concomitabantur, nomen Febris ardentis ſervaverat, ita & nos nomen ſynochi putridæ.

Secundum indicationem, in ſimili morbo formandam, bis ipſi Vena ſe-

ɛ̃ta

cta eſt, data alimenta, potulenta, medicamenta, qualia ejusmodi ægris *Tomo I. Rat. Med.* nos dare ſolere deſcripſi. Sudor eam die ſeptima prehendit, isque calidus, univerſus, copioſus, ſex horarum ſpatio, tam inſigni cum morbi levamine, ut poſt placidam noctem, ſola ſupereſſet capitis gravitas die octavo; febre prorſum cum cæteris exulante ſymptomatibus.

§. IV. Quærebatur eſſetne judicata ægra διὰ τέλεος?

Utique dies criticus erat, & qui pro criſi ſudor optimus. Aphor. 4—36. Morbi autem conditio hæc erat: Cruditatis ſigna urina habebat, alvusque, usque ad initium ſudoris: interim ipſa Febris poſt ultimam miſſionem ſanguinis cujusdam coctionis ſigna tulerat, perque illud ipſum remiſſionis tempus ſomnus inquietior,

 ſub-

ſubdelirium, levis nauſea, criticam quandam perturbationem ſubinſinuare potuerant, maxume cum brevi poſt ſudor tantus, tantoque cum levamine, ſequeretur.

Verum defuerat rigor ante ſudorem. Rigorem autem ſudores criticos præcedere oportere, *Hippocrates* Lib. I. Epid. in *Cleonactidis* hiſtoria, in qua admirando Laconiſmo ſuo ſylvam obſervationum integram comprehendit, nos docuit. Simulque retulit, eo quod rigor ante ſudorem defuiſſet *Mulieri, quæ in Littore habitabat*, licet ipſa poſt ſudorem febre omnino vacaret, tamen quinto febris ardentis die ſymptomata rediiſſe cruditatis, nec ſanatam ægram, niſi ad undecimam obrigeſcens, nova febre corriperetur, ab eaque tandem die decimo quarto judicaretur vomendo, ſudando. Quare eodem Libro I. Epid.

pag.

pag. 915. Edit. Foës. „ Plerique „ ægrotantium circa Crisin rigebant; „ ac præcipue ii, quibus non fluebat de naribus sanguis : rigebant „ autem hi, & sudabant.

Hinc in *Zoïli* Historia pag. 1023. „ Nescio, inquit, quomodo ille sine Rigore judicaretur. „ Et dein sudores non decernentes enarrans, subjungit : „ Absque Rigore est die „ 14. judicatus. „ Ostendit tamen postea, quam imperfecta ejusdem judicatio fuerit.

Itaque defectus rigoris de sudoris jubebat dubitare bonitate, ad crisin sufficiente; ab altera parte consulenda erat, quam de sua ipsa regula fecerat *Hippocrates*, exceptio. Quippe refert Epid. 4. pag. 1131. „ *Menandri Vinitorem*, non esse, ut quidem sororem *Timenæi*, rigores passum, quamvis judicatione absol-

 „ ve-

„ veretur, eo quod alvum perturba-
„ tam, ac liquidam, ab initio mor-
„ bi habuiſſet.

Ad hanc exceptionem explicandam juvat decimus, isque obſcurior, textus Libri VI. Epid. cum *Galeni* explicatione. Textus ſic habet: „ Ante rigorem Urinarum ſuppreſſiones; ſi cum bonis ſignis proceſſerint, & alvus dejecerit, ſomnique affuerint. „ In quem *Galenus* dum Hiſtoriam *Menandri* elucidat: „ Igitur ſi alvus plura dejecerit, Urinæ ſuppreſſæ fidere non convenit ad futurum rigorem præſentiendum: at ſi alvus fluxa non ſit, proximamque eſſe morbi judicationem prænoveris, ægrotum rigere, ſudareque, neceſſe eſt.

Cum igitur ægra noſtra, quemadmodum Vinitor *Menandri*, perturbatam aliquomodo ac liquidam habuiſ-

buiſſet ab initio alvum, judicatio æque bona & perfecta, quam illa *Vinitoris*, cenſeri poterat. Verum ita cenſendo non fuiſſemus mentem *Hippocratis* rite aſſequuti. Crebritate enim obſervationum ille didicerat haud modo, qui horrore præcedente caruiſſent, verum etiam qui illum præcedentem habuiſſent, ſudores, incertæ prognoſeos eſſe, donec ſtatus inſequens judicationis confirmaret certitudinem : quippe integre judicari quandoque ægros ſudorum horum alterutro, unicâ ; ſæpe alios repetitâ vice ; imo non ſemper inde ne a morte quidem ægrum præſervari : Ita *Charion*, ex potus abuſu in febrem ardentem lapſus, licet die 7. poſt rigorem acute febricitans, diffuſoque per totum corpus ſudore manans, certo quodam modo judicatus videretur, nihilominus die nono novum inſultum paſ-

passus est; & graviorem die 14. cum sudore; aliumque die 17. novo cum rigore, febre, sudore; ac tamen non nisi 20. die (quo demum modo non narrat,) absolute judicatus est. Et *Dromeadæ* uxor, licet ter sudorem cum rigore experta, nihilominus 6. die periit.

Igitur toties horum omnium exempla Auditoribus in Nosocomio demonstrata, in pronuncianda sententia cunctari omnino jubebat. Docuitque eventus haud inanem fuisse cautelam. Ægra nostra die 8. 9. 10. calido balneo crurum insidens, vomuit. Urinam hypostaticam die nono miserat. Die undecimo alvum coctam, biliosam. Die 13. vix vestigia maculatum. Die 14. optime ac blande purgabatur ab unciis quatuor Aq. Lax. Vienn. noctemque dato paregorico transegit tranquillissimam. At vero die

die 15. febre invadebatur tanti caloris, ut 104. gradum Therm. Fahrenh. æquaret; qualem febris in illa necdum attigerat. Die 16. mane calor 106. vespere 109. gradus notabat. Vomitus interea, dura alvus, urina jumentosa. Die 17. febris cum cephalalgia, vomitu flavo, flava alvo, ac pultacea, quater missa. An tandem vomitu judicata alvoque? Fere quidem; integre autem nondum. Etenim diebus insequentibus cum urina hypostatica vires rediere, pulcreque restitutæ sunt functiones; caput autem vertiginosum mansit, & hebes, & grave. Unde purgans cum paregorico repetitum: nihilominus a die 23. vagi observabantur colici dolores, noctu quam diu graviores, vomitusque frequentes. Et hinc, & quod oculorum album id innueret, & quod brevi ante ægritudinem vermes

mes bis ore expulsisset, haud immerito vermium nata suspicio est. Datis ideo cum antihelminticis, tum purgantibus, demum sanitatem integram 34. die adepta est.

§. V. Atque hæc de sudore critico; de eodem vero aut continuo, aut frequenti, paucis videamus. Sudores frequentes aut continuos, vi productos morbi, nunquam in Nosocomio salutavimus salutares, sed vel in mortem, aliosve in morbos tendentes, vel demum, hisce cessantibus sudoribus, animadvertimus aut per alias vias, aut per bonum sudorem, febres judicatas.

Confirmatam proinde ubique Hippocraticam veritatem conspeximus. Epid. 1. *Erasino*, qui 5. die morbi sui periit, febres aderant ad mortem usque cum sudoribus. Et Epid. 3. ægr. 4. *Phreniticus homo* primo die habuit

buit ſudorem copioſum, aſſiduum, toto corpore dimanantem; ita & die altero, & tertio, cum ſymptomatibus gravibus, quarto vero periit. Cur *Euxeni* uxor, Epid. 7. pag. 1224. ſeptimo poſt remiſſionem die obiit? Sudores affuerant ab initio per totum corpus; iterumque morbo medium agente curſum. Cur *Nicolai* filius die 7. mortuus? Quia præter alia ſymptomata prava notat Hippocrates Epid. 7. pag. 1234. illum per morbi crudum ſtatum bis ſudaſſe. Cur *Philiſcus* Epid. 1. pag. 966. die 6. cum ſudoribus frigidis extinctus? primo ac tertio crudi morbi die ſudaverat.

Sic viri immortalis doctrinam intelligimus, quam diverſis operum ſuorum docuit locis. Prorrh. 1. text. 58. „ Sudor in febribus acutis copioſus „ malus eſt. „ Et mox initio 2. Epid.

„ In

„ In ſiccis caloribus magnis, febres „ ut plurimum citra ſudorem; ſin „ vero ipſis durantibus leviter ac gut- „ tatim pluere ceperit, febres eæ- „ dem jam ab initio ſudores copio- „ ſiores, difficilioremque criſin, quam „ alias, habent: licet tamen haud „ ita difficilem, quam ſi a morbi „ ipſius ratione, aut natura, proflue- „ rent. „ In *Phrenitico*, in *Euxeni* conjuge, in filio *Nicolai*, in *Philiſco*, veritas conſtitit effati Hippocratici Coacar. n° 574. „ Qui una cum fe- „ bre incidit ſudor, malus eſt. „ Et quidni? Τὰ κρίσιμα ἐς βελτιον μὴ αὐτίκα ἐπιφαινέσθω, dixerat Epid. 2. ſect. 2. „ Haud ilico cum morbo appareant „ ea, quæ in melius judicent. „ Et quare non debent hæc ab initio apparere? Reſpondet ibidem pag. 999. Τὰ προκρινόμενα ἢν ὠμῶς κριθῇ. „ Quæ „ in cruditate præmature judicant,

„ mor-

„ morborum recidivas faciunt, & ſi
„ non has, tunc Criſes aut malas,
„ aut nullas: quin & ſi copioſiora,
„ perniciosa ſunt.

Ex quibus liquet quantopere & *Hippocratis*, & noſtræ Experientiæ, illorum Medicorum adverſetur methodus, quæ ab initio ad excretiones quascumque, potiſſimumque ſudoris, vires intendat omneis; Methodus, inquam, quam optimus *Boerhaave* adeo damnavit Aph. §. 715. 716. „ Su-
„ dor, inquit, *in initio* acutæ febris
„ cujus cauſa paullo pertinacior....
„ ſi perennat, orbat ſanguinem li-
„ quido diluente, reliquum inſpiſſat,
„ obſtructiones facit letales; ſangui-
„ ne poſtea vix diluentibus, vel re-
„ ſolventibus auſcultante; unde om-
„ ne fere acutorum genus produci
„ poteſt. „ Longus forem omnia, quæ in hoſce binos textus *Boerhaavii*,

ut & in 610. ac 698. *Illustrissimus Commentator* habet, referendo: sufficiat monuisse cuncta eo collineare, ut penitus condemnet cum *Boerhaavio* Lecti, Conclavis, Aëris, Medicamenti, calorem, in communibus, quorum causa pertinacior est, Acutis; & ut multis, potissimumque tribus diversis in locis, resumat æternas *Sydenhami* laudes ,, quem, ait, generose, animose, ausu generoso, se solum fere, primumque, communi torrenti opposuisse.

Triste hujus exemplum vidit Nosocomium quondam. Italus homo a primo, ad quintum diem febris putridæ acutæ, potu Theano copiosissimo, lectoque ac cubiculo calido, profusissimos sibi elicuerat sudores, a quibus vehementer debilitatus, meam demum implorabat opem. Pergente sudore die 6. & 7. nauseas passus

est,

eſt, ventrisque dolores, die octavo copioſiſſimam alvum, ab 8. die ad 10. qua mortuus eſt, perpetuos ſudores. Mala utique arte infelix homo per primos quinque morbi dies crudam moverat materiem, ſanguinemque exſiccarat; unde die 6to, criticorum infidiſſimo, ad Ventriculum & Inteſtina materiæ morboſæ perturbatio nata; octavo die, non critico, evacuatio quidem alvi flava ac copioſa, ſed ceterum ſanguis adeo ſpiſſus, ut tranare per minima non potuerit, debilitasque obſervaretur tanta, ut nec movere artus, nec in lecto ſe erigere, citra animi deliquium, poſſet; ac præterea, ab octavo die ad mortem usque, ſudor a ſanguine ſic condenſato, ut aquoſa epota haud ultra ſecum commiſcere poſſet, perpetuus manaret. An palpabiliore teſtimonio doctrinam datam poſſumus confirma-

 tam

tam videre? Caput tertium funesta exempla plura suppeditabit.

CAPUT II.
VARIA DE CRISI MORBORUM.

§. I. *Observationes* Hipp. *de morbis sine Crisi terminantibus; ad Resol. benignam minime referendis.* §. II. *Ejusdem Observationes de Crisi perfecta.* §. III. *De Crisi imperfecta cum Recidiva.* §. IV. *Ejus mos agnoscendi Crises, quæ alios in morbos tendant, imo quæ in mortem: Regulæ ejus de Criseos bonitate & perfectione judicandi.* §. V. *Perfectæ Crises, quæ imperfectæ videbantur, & versa vice. Crises cum perniciosis symptomatibus bonæ. Ea occasione dissertur de Urinis nigris, quæ per se letales, nonnunquam tamen cum bona Crisi apparuere. Attamen, una ægra excepta, quotquot post urinas nigras convaluere, non nisi post plures ærumnas convaluère.* Galeni, & *multorum cum illo,*

illo, de urina nigra errores hypothetici. Et in Chronicis urinam nigram laudamus, factâ bonâ Crisi, formidamus faciendâ. Pisonis *textus & casus non docent contrarium.* §. VI. *Crises bonæ & perfectæ cum pravis, alio modo, urinis, pravis sputis, &c. Crises malæ, imo mortes, bonis cum sudoribus, cum bona, imo hypostatica urina.* §. VII. *Ad firmam prognosin tamen urinæ bonæ passim requiruntur, ad easque* Hipp. *attendit cum maxume.* §. VIII. *Bonæ ac pravæ urinæ solæ prognosin non formant: jungenda illis semper signa reliqua. Bonæ, insolitæ licet, Crises. Ad generalium regularum exceptiones perpetuo attendendum; ea vero lege, ut haud ita exceptiones consideremus, ac si regulam generalem aufferrent. Pulcerrimum* Hipp. *in hisce exemplum.* §. IX. *Solæne urinæ morbos judicent? Probatur.* §. X. *Difficile sæpe exordium determinare Acutorum: qui hic se gesserit* Hippocrates? §. XI. *Agitatur quæstio num, Crisi bona contingente, prædici possit fore eam perfectam, aut non perfectam? Regulæ* Hipp. *omnem hic nobis prudentiam suadent. Morbi sive letales, sive periculosi,*

 non-

nonnunquam formantur insciis ægris, inscio medico. Historia ægrotantis adjungitur, quæ multa confirmat dictorum.

§. I. EX *Hipp. Gal. Aretæo Capp.* ceterisque subsequentium Medicinæ Corryphæis, summus in Arte *Boerhaavius* dedit nobis succinctam descriptionem Cruditatis, Coctionis, Criseos, Evacuationisque criticæ, in Morbis acutis, Inst. §. 922. 925. 926. 928. & a 931. ad 940. His, ut per se perspicuis, non immorabor, recensurus duntaxat quas ipse *Hippocrates*, quas nos post illum, exceptiones in norma generali observandas deteximus.

Atque ut ab *Hippocrate* ordiar, observavit ille 1° Morborum finem citra Crisin. Libr. I. Epid. pag. 944. tradens illam, quam in *Thaso* observaverat, Constitutionem morborum, 20. 40. 80. die judicatorum, „ Erant

„ etiam,

„ etiam, ſubjungit, quibus ne qui-
„ dem ſic, ſed errabunde, & nulla
„ obſervata judicatione, febres de-
„ ſinerent. „ Eademque in urbe
graſſantibus poſtmodum febribus con-
tinuis remittentibus, Tritaiophyis di-
ctis, notat „ ægrotantium plerisque
„ febres absque judicatione deſiiſſe. „
Praxi Medica in 29. annum occupa-
tus, necdum potui caſum aut obſer-
vare talem, aut demonſtrare.

Cum ſimile quid, raro tamen, poſt *Hippocratem* unus notare alterve po-
tuerit, *Boerhaave* prudenter Inſt. §.
913. „ In morbis acutis, ait, qui
„ in humoribus conſiſtunt, diſponi-
„ tur, *ut plurimum*, certo tempo-
„ re, materies morbi ita, ut fiat ſu-
„ bita mutatio morbi in ſanitatem,
„ vel &c. „ Quæri poteſt num mor-
bi, qui citra Criſin finiebantur apud
Hipp., ad ſanationem per *Benignam*

 re-

resolutionem referendi sint? Verum cum in Resolutione benigna inter cætera requiratur benigna morbi materies, & in Historia data ab *Hipp.* materiei perquam malignæ signa obtinuerint, ἀκρίσιμοι illi *Hippocratis morbi* per Benignam Resolutionem non explicantur. Essetne hæc variarum rationum una, cur *Hipp.* dixerit Aph. 2 — 19. „ Acutorum morborum „ ȣ̓ παμπαν, non omnino, non abso- „ lute, non citra ullam exceptionem, „ tutæ sunt prædictiones sive mortis, „ sive sanitatis? „ Etenim si nihil critici in morbi sanatione observatur, etiam nihil certi Medicus ad præsentem futurumve morbi statum, pronunciare potest.

§. II. Ut morbos descripserat ἀκρίσιμȣς, ita descripsit multos διὰ τέλεος, δι᾽ ὅλȣ, integre, judicatos. Sæpe adhuc addit: „ Neque morbi est facta Rever-

„ sio.

„ ſio. „ Fatendum tamen eſt neque unum neque alterum ſæpe adjunxiſſe morbis, quos ſimpliciter judicatos tradidit, licet & perfecte, integreque, & citra morbi reverſionem, eſſent judicati. Criſes tales perfectas Noſocomium exhibuit multas.

§. III. Deſcripſit judicationes cum Reverſionibus, quæ frequentes admodum ipſi viſæ; ita quidem ut Epid. 1. pag. 956. 957. integram viderit conſtitutionem, in qua nullus ſervaretur, niſi poſt recidivam, reconvaleſcerentque quotquot relapſum paſſi eſſent. Ut *Hipp.*, ut omnes Medici, ita & in Noſocomio nos frequentes relapſus cernimus. Eſt alia ratio cur *Hippocrates* in laudato mox Aphoriſmo faſſus ſit, Acutorum morborum haud eſſe tutas citra ullam exceptionem prædictiones. Sæpe ſæpius cernimus Criſin omnibus numeris abſolutam,

integramque post eandem brevi redeuntem sanitatem, dum interea primo, altero, tertio, quaternario dierum elapso, morbus idem, aut similis, aut prorsum alienus, redeat. Contingitque subinde, ut de qua Crisi, num perfectam dicas, valde dubitares, eandem perfectissimam salutes; quamque arbitratus perfectissimam esses, hanc doleas fallentem. Ad talia in Nosocomio data exempla ipsum hunc Aphorismum adplicare soleo, & una cum Medicinæ Auditoribus prudentiam disco in danda Prognosi.

§. IV. Judicatos *Hipp.* vocat, quibus varia tamen incommoda, eademque sæpe gravia, post Crisin acciderint, imo quorum nonnullos mors abstulerit. Libr. 1. Epid. pag. 956. judicatos appellat, quibus parotides postliminio suboriebantur; iisque nec dimittentibus, nec suppurantibus, vel

Diar-

Diarrhœa biliosa nascebatur, vel Dysenteria, vel crassarum Hypostasis urinarum. *Metonem* Epid. 1. pag. 983. judicatum die 5. pronuntiat, cui nihilominus post judicationem Pervigilium ac Delirium leve nonnunquam affuit, a quibus non nisi crebriore narium hæmorrhagia est liberatus. Ibidem pag. 986. *Clazomenium* nobis refert die 20. judicio liberatum, qui tamen ad diem 40. multa passus, demum mansit Amblyops. Pag. 958. inter judicatione absolutos retulerat *Scymni Fullonis ancillam*, & *Cratistonactam*, quos, licet Parotidibus suis critice suppuratos, mors dira abstulit. Sic etiam videmus apud ipsum morbi crisin in mortem describi. Et Epid. 3. pag. 1073. *Euryanactis* filiam narrat 6. die judicatam, quæ postea, & ut videtur circa 19. diem, legitur obiisse. Sane si ad constantes Judicatio-

nes

nes perpetuo addidiſſet ſuum *per totum*, ſuum *omnino*, aut *perfecte*; ſi ad imperfectas vel nihil addidiſſet, vel, ut Epid. 1. pag. 973. Morbus judicatus quidem, ſed *intermiſit* tantum; hiſtorias morborum ſuorum accuratius traditas *forte* gauderemus.

Haud vero id *Hippocrati* ita viſum, idque merito, eſt. Exemplo hoc ipſo ſuo prudentem cautelam docuit Poſteritatem. Dixerat Aphor. 2—12. & *quinquies* in Epidemicis repetiverat: „ Quæ in morbis poſt Criſin relin- „ quuntur, recidivas facere ſolent.„ Porro recidivas aliquando letales eſſe demonſtraverat. Hinc mos illi perpetuus invigilandi poſt Criſin ægrotis. Criſin eſſe perfectam ex aliis non noverat ſignis, niſi rerum poſt eandem eventu. Hinc toties addidit οὐκ ὑπέστρεψε. Debuit ergo ſuos in ægros perpetuo attentus fuiſſe, ut vel inte-

gra

gra vel imperfecta ægrorum in sanitatem illibatam constantemque restitutio, vel mutatio in alium morbum, vel recidiva nonnunquam letalis, sibi primo innotescerent, antequam, quam jam Criseos nomine donaverat, vel veram, vel personatam duntaxat fuisse, asseveraret.

§. V. Dixeram superius crises, quæ numeris omnibus videantur absolutæ, sæpe minime absolutas esse, & quæ imperfectæ admodum adparerent, has integras fuisse rerum constare eventu. Cum id in Nosocomio toties visum, operæ pretium erit altius, ac præcipue ex *Hipp.* repetere.

Cum urinis plane nigris & subnigris, seu tenuibus, seu cum contentis quoque nigris, Crises acutorum morborum observamus bonas.

At-

Attamen nihil in praxi Medica certius ac testatius est summa nigrarum urinarum pernicie.

Consulamus hunc in scopum universam Medicinam.

Hipp. in progn. „ Viris, mulieri-
„ busque, omnium pessimæ urinæ ni-
„ græ, sicut pueris aquosæ. Et Coac.
n° 580. „ Pestifera autem est inter
„ urinas & quæ hypostasin habet ni-
„ gram, & quæ ipsa quoque est ni-
„ gra: sed pueris pestifera est ma-
„ gis aquosa.

Unde *Hipp.* describens febres ardentes Lib. I. Epid. 1. pag. 954.
„ a quibus plerique omnes morie-
„ bantur „ addit: „ Urinæ his erant
„ nigræ, tenues, & paucæ. „ Exemplis præterea urinarum nigrarum pravitatem demonstrat. *Pythio in Thaso*, post urinas primo subnigras, deinde nigras, 10. die mortuus legitur,

Epid.

Epid. 3. pag. 1098. *Mulier in Cyzico* cum urinis nigris tenuibus, deinde oleosis, 17. die periit, ibid. pag. 1114. *Mulier in Thaso ad frigidam decumbens*, 80. die interiit, notante sic *Hipp.* „ Urinæ huic perpetuo ni- „ græ, tenues, & aquosæ fuerunt, „ ibid. pag. 1096. *Adolescens in Foro Mendacium* post urinas subnigras obiit 7. die, ibid. pag. 1076. *Femina in febre ardente post puerperium* 7. die expiravit, urinis 5. & 6. die paucis, tenuibus, subnigris, ibid. 1079. *Philiscus* habet die 3. 4. & 6. urinas nigras, 6. die moritur, Epid. 1. pag. 966. *Erasinum* mors die 5. abripit post urinas nigras. Epid. 1. pag. 984. Abderæ, *Apollonius* in mortem incidit 34. die cum urinis, quas *Hipp.* scribit, ex quo ipsum in morbo viderit, fuisse nigras. Epid. 3. pag. 1111. *Silenus* morbi sui die 11. extin-

tinguitur, cum toties nigras urinas aliquando cum Hypostasi nigra reddidisset.

Hinc *Galenus* Libr. I. de Cris. cap. 12. *Charter*. Tom. 8. pag. 395. „Pessima igitur est omnis urina deni-„ grata, adeo ut neminem unquam „ servatum viderim ex iis, qui ta-„ lem urinam minxerunt:„ Exceptiones quasdam adjungit, sed quæ ad rem non faciant; agit enim *Hippocrates* in his ægris, non de urinarum contentis, sed de ipsa urina subnigra nigraque. Hinc quod Galenus, hoc textu, quod *Liber Galeno adscriptus de urinis*, cap. 20., quod *Liber de urinis ex Hipp. Gal. aliisque* subjunxere: „ Minus vero perniciosa est si „ solum id, quod subsidet, nigrum „ fuit; atque adhuc minus, si solum „ enæorema; ac multo minus etiam, „ si nebula:„ hæ, inquam, exceptiones

nes locum hic non habent, quandoquidem de ipſa urina nigra ſermonem facit *Hippocrates*, non de contentis.

Equidem negavit omnino *Galenus* urinam nigram exiſtere poſſe, quæ ſimul tenuis eſſet: negarunt idem cum *Galeno* Autor Libri *de urinis Galeno adſcripti*, Liber *de urina ex Hipp. Gal. aliisque*, ut & *Theophilus Jatroſophiſta Libr. de urinis*, qui omnes libri apud *Charterium* Tom. 8. inveniuntur. Et cur negarunt? Quia cauſam nigredinis urinarum Hypotheſis illorum ab atra bile deducebat; quæ cum craſſa eſſet, non poſſet urinam nigram ſimulque tenuem exhibere.

Miror *Galeni* aliorumque errorem, miror eorum erga *Hippocratem* irreverentiam. Error eſt craſſum liquorem nigrum non poſſe aquæ limpidæ copioſæ conciliare nigredinem ſic, ut

aqua hæc cum nigredine ſit tenuis: atramenti enim craſſamentum exiguum nigram reddit copioſam aquam, haud ablata ejus tenuitate. Hic tamen adeo palpabilis error ſeducere hos Autores eo potuit uſque, ut, quod tot locis vidiſſe ſe teſtetur *Hippocrates*, non ſuſpiciant, imo ſe ſimulent ignorare. Unde recte *Lud. Mercatus* Vol. I. Lib. 2. pag. 254. aſſerit illos omnes urinam nigram poſſe tenuem eſſe *oſcitanter* negaſſe, toties nigram ac tenuem demonſtrante *Hippocrate*.

Duretus pag. 504. in Verba Hippocratis: *Peſtifera autem eſt inter urinas, quæ & Hypoſtaſin habet nigram, & ipſa quoque eſt nigra*: „ Peſtifera eſt inter „ urinas, de qua ſperabilis nulla „ curatio eſt febris acutæ, cujus ar„ dore talis mejendo emittitur.

Quam-

Quamvis igitur omnium teſtimonio urina vere nigra letalis ſit, idque tot confirmarit *Hippocrates* exemplis, videmus tamen & cum iisdem ſervatos ægros, & una cum illis criſim bonam factam.

1mo *Metoni* ad 5. diem judicato urinæ ſubnigræ erant, tam ante, quam poſt Criſin. Haud omnino recte *Hippocratem* intellexiſſe *Foëſius* videtur, dum *de Metone* ſcribit: „urinæ iſtæ ni-
„ gricantes, etſi taceat *Galenus*, non
„ ſine magnæ naturæ efficacitate,
„ potuerunt eſſe ſalutares, ut in acu-
„ tis morbis contingit, qui per uri-
„ nas judicantur, ut multas pleuriti-
„ des judicatas ſcimus per urinas ni-
„ gras, *craſſas tamen*: & quæ ſolent
„ urinæ nigræ ſalutares eſſe, fere craſ-
„ ſæ ſunt; *tenues* letales.„ Etenim ſubnigras urinas, earumque ſubnigrum enæorema *Hipp.* refert ante cri-

ſin fuiſſe, ergo non craſſas, utpote in quibus enæorema non apparet: poſt criſin vero urinarum cum tenuitate nigricantium diſerte meminit.

Epid. 3. pag. 1108. *Mulier in Thaſo auſtera & aſpera* habuit ad diem 3. urinas nigras ac tenues, cum enæoremate valde rotundo; eademque nocte perfecte judicata ſudoribus eſt, & catameniis.

Epid. 1. pag. 974. *Herophon*, poſt nigras tenuesque urinas, eſt judicatus imperfecte die 9. perfecte autem 17.

Epid. 3. pag. 1106. *Heropytus* urinas nigras habuit, & tandem convaluit.

Epid. 1. pag. 979. *Epicratis uxor* judicata eſt poſt urinas tenues, ac ſubnigras.

Epid. 3. pag. 1108. *Nicodemus* 24. die integra judicatione abſolutus eſt, poſt urinas tenues ac nigras.

Igi-

Igitur ſex exempla apud *Hipp.* proſtant ſervatorum ægrorum, quibus urinæ aut ſubnigræ aut nigræ fuere: & quod ipſe, idem alii magni practici obſervarunt.

Si *Galenum* per ſeipſum explicare debemus, etiam ſic cenſuiſſe reputandus eſt. Ipſus enim, qui dixerat, ut vidimus, eorum, qui in acutis nigram urinam minxiſſent, ſe ſervatum vidiſſe neminem, ille ad caſum *Mulieris auſteræ & aſperæ*, ait: „ Urina licet eſſet nigra nihil attulit „ periculoſi: quod retenti menſes „ eſſent magis melancholici. „ Imo in comm. ad *Mulierem quæ ad frig. aq. in Thaſo decumbebat.* „ Quandam „ novi, inquit, quæ talibus (nigris) „ urinis magna copia evacuatis, ἀφε„ ληθεῖσαν, opem perceperit.

Proſper Alpinus Lib. 7. cap. 14. *de Præſag.* non malas urinas eſſe ni-

gras judicat, ſi cum copioſa hæmorrhagia narium, ut in *Metone*; aut cum largis catameniis, ut in *Muliere auſtera*, obſervantur.

Ludovicus Mercatus laudato mox loco: „Tamen ad ſalutem, inquit, „ aut ad mortem prædicendam, non „ eſt ſolum nigra urina conſideranda, „ ſed alia ſigna ſalutaria, aut deleteria, „ adjungere oportet, & inſpi„ cere an bene exeant, vel male. „ Namque diffidendum non eſt interim „ dum virtus conſtat, ut ſtatuit „ *Avincenna*; quantumvis ab omni„ bus urina nigra letalis habeatur.

Proſper Martianus in *Coac.* n° 580. commentatus, *Mercati* ſequitur ſententiam. vide pag. 606. edit. Rom. 1626.

Hinc *Cl. Rega*, *Diſſ. de urinis ut ſigno* „ in æſtate anni 1727. ait, vi„ di ego hic *Lovanii* duorum ægro-

„ rum,

„ rum, qui adhuc ſuperſtites ſunt,
„ urinam per plures dies atram valde,
„ de, cum ſedimento quoque nigro.„
Non addendo autem utrum acute an chronice hi laborarint, minus forte probant bina ejus exempla, ut patebit mox.

Sed *Plempius* fund. Lib. 5. ſect. cap. 5. in acutis malignis nigram urinam quandoque criticam ſalutat.

Porro inquirendum eſt, cur uno tempore omnis denigrata urina abſolute letalis habita fuerit, alio tempore minus fuerit?

Hippocrates raro ratiocinando, ſed ſimpliciter paſſim phenomena enarrando, parum quoque hic explicat; niſi quod in Febre ardente epidemica, de qua ſupra actum, narret & pleroſque in ea febre urinas nigras habuiſſe, & pleroſque periiſſe: tum in Hiſtoriis variorum ægrorum ſuorum,

rum, qui nigra minxerint, aut Labores nimios, aut Calores ardentes, aut Victum pravum, aut Bacchum, Veneremve, Morbi inter causas recenseri oportere: denique in nonnullis humores Melancholicos esse considerandos.

Numquid hinc celebris illa nata distinctio, quam post *Galenum* omnes magni scriptores practici foverunt, qua causas urinarum nigrarum partim deducerent a cruore per violentiam febrium exusto, partim ab ipso humore atrabiliario, qui quidem ante morbum existeret, vi autem morbi valida moveretur, misceretur que humoribus? Saltem eo collineant omnes ut nigram urinam semper quidem periculosam valde existiment, longe vero perniciosiorem illam, quæ a corrupto, & exassato per ardores sanguine, quam quæ ab humore me-

lan-

lancholico orta ſit, pronuntient: & cum menſtruum ſanguinem retentum ſolerent Melancholicum fieri credere, hinc *Galenus* in Comm. ad *Mulierem moroſam* ſupponit ipſi urinas nigras minus noxias fuiſſe; quale quid cum ipſo cenſet *Durctus* Edit. Leyd. pag. 498.

Attamen motu humoris atrabiliarii in acutis *Hippocrati* nihil perniciofius viſum. Paſſim in Coacis, in Prorrh. in Aphor. id videre eſt. Vid. Aph. 4 — 22. 23. 24.

Sane ſi videamus eorum qui, narrante *Hipp.* ſervati ſunt, hiſtorias, excepta *Muliere aſpera & moroſa*, habuere omnes poſt Criſin aut perfectam aut imperfectam, prava ſymptomata varia, Criſes perfectiores, nigrarum urinarum in colorem meliorem mutationes, alias excretiones ſalutares. Unde etiam *Hipp. Coac.* 577.

& in *Progn.* vel ſolas nigras lividasque urinarum nubeculas damnavit ; & *Prorrhet.* 1. n° 4. inter alia Phrenitidem ex urina decolori cum nigro enæoremate præſagiit ; dein *Coac.* n. 581. letale pleuriticis dixit ſedimen nigrum in urina porracea, & demum *Coac.* 582. „ In errantibus febribus ni-
„ græ nubeculæ quartanam denun-
„ tiant ; decolores urinæ enæorema
„ nigrum habentes, cum privigi-
„ lio, & perturbatione, phreniti-
„ dem ; urinæ cineritiæ vero cum
„ Dyſpnœa, hydropem prænuntiant.

Unde quod *P. Alpinus*, quod *F. Plempius*, aliique, ejuſmodi urinas nonnunquam Criticas appellarint, id ſecundum *Hipp.* & celeberrimos ejuſdem Commentatores, haud aliter capimus, intelligimusque, quam quod in his ægris, Criſeos tempore, una cum nigris urinis, apparuerint hæmor-

morrhagiæ narium, uterive, ſudores, &c. qui morbum aut integre, aut imperfectius judicantes, ſimul indomabile illud, & vix coctile, letiferumque per ſeſe, de corpore expulerint: pari profecto ratione, qua Petechiæ & Miliaria, dum cum aliis evacuationibus prorumpunt, critica quibusdam vocantur.

Exceptionem quidem Autores petunt Chronicis in Morbis, dum Hepar, Lien, aliæve abdominis partes, ſua atra bile, Criſeos in morem, exonerent ſeſe, vel dum Melancholicorum intermittentes febres nigris judicentur urinis. Fateor & tales formidandas me Criſes vidiſſe, optaſſe vero ne viderem unquam. Qui hiſtoriam Bilis atræ ex *Hippocrate* bene poſſidet, propriaque praxi demonſtratam tenet, ille demum novit quid non timendum ſæpe ab Atra bile mota, & quod,

quod, etſi aliqui fortunatiores emergant, poſt ejusdem expulſionem validam, vomitu, alvo, urinis; ejusdem motus nihilominus ſit perpetuo formidandus. Ideo *Hippocrates*, & cum flore practicorum *Boerhaavius*, adeo anxie ac ſollicite inculcarunt nobis, ut de movenda Bile atra ne cogitaremus quidem, donec eandem ſic primo immutaſſemus, ut talis haud amplius eſſet, neve unquam prodiret foras, niſi ſic mutata, mitigata, ſoluta, attenuata, dilutaque foret, ut antiquæ naturæ plurimum depoſuiſſet. Verbo repetam, ſi in Melancholica Quartana febre urina nigra Critica dicenda ſit, Criſin hanc infidam ſic gaudent Practici prægreſſam, ut formidant futuram; eamque ob cauſam Quartanam talem cortice, cæterum contrario, moderentur ſic, ne Bilis atra in motum ducta occidat.

Dif-

Difficultatem contra hanc Sententiam movere quis posset ex Observ. C. *Pisonis* Lib. de Coll. ser. Sect. 3. cap. 9. Agens hic autor de Colica Pictonum, & de ea Colica Nephritica, quæ Pictonicæ perquam similis, bonas se narrat observasse urinas, quæ sic atræ essent, ut ni quis attente conspexisset, a nigro sanguine tinctas credidisset, tumque subjungit: „ Ejusmodi uri-
„ næ atræ mihi sane olim fuere in
„ autumno familiares, & per pluscu-
„ los dies, vel etiam quindecim, as-
„ siduæ: sed fere iis post aliquot
„ dies dolor Nephriticus, a me de-
„ scriptus, successit. Alias cum nul-
„ lam aliam injuriam iis succedentem
„ expertus essem, plurium ægrorum
„ deinceps postea querelas super iis
„ composui, & animi anxietatem, ea-
„ rum occasione obortam, longe fa-
„ cessere jussi. „ Hinc quisquam

for-

ſorte concluderet urinas nigras tam peſtiferæ naturæ minime eſſe, quam hucusque deſcriptæ ſint.

Sed regero 1mo ſummas easque multiplices Autoritates pro ſententia de harum pravitate urinarum laudatas, unica hac Obſervatione Piſoniana, eaque omnino extraordinaria, non elidi. 2do Ex ipſo Piſonis textu ambiguum fieri an vere nigra ejus urina fuerit? Et an non potius ſic nigredinem retulerit, qualem toties in chronice Nephriticis contuemur, quæ a ſanguine commixto penitus videatur nigreſcere, quamvis non ea, de qua hic agitur, urina nigra ſit. Calefacta urina differentiam demonſtrat. 3^{tio} In Renibus ac Veſica urinaria, ut & in omnibus ſive naturaliter cavis, ſive præternaturaliter excavatis, corporis partibus, ejusmodi humorum aut ſolidorum degeneres mutationes ut conſi-

ſiſtentia, & forma, ita & colore, nos experiri, cujusmodi Circulatio humorum non toleraret, ſed a quibus extingueretur : nihilominus degeneres has conditiones longo ſæpe tempore tolerari, quia extra circulationis veluti territorium ſunt. Hoc modi vidi in Chronica Nephritide, vidi in Dyſuria, ſic alcalinam prodeuntem urinam, ut mictionis momento vehementer efferveſceret cum aceto. Sic Piſonis Nephritici urina, non atra de ſanguine ſecreta, ſed corruptum atque atrum transeuns antrum, atra reddi potuit.

Ergo, quo ad Theſin propoſitam redeamus, Criſin quandoque fieri bonam cum urinis, & *Hippocratis* & Autorum Practicorum pene univerſorum, teſtimonio, vel abſolute per ſe letalibus, vel ſaltem ſummopere periculoſis, diſcimus.

§. VI.

§. VI. Quod de urinis nigris vidimus, idem innumeris in ægris Nosocomii nostri observamus de urinis tenuibus, de urinis fœtidis, de urinis bonam nunquam gerentibus hypostasin. Cernere e contrario datur in summa Acutorum cruditate vel alvum quæ naturalis sit, aut etiam quæ flava ac pultacea conditione critica dici queat; vel urinas perpetuo hypostaticas, interea dum capit morbus augmentum, immo dum tendit in mortem; vel in inflammatoriis morbis pectoris sputa cruda, cum alvo urinaque adeo coctis, ut morbus inde judicatione integra absolvatur; vel Respirationem bonam, cum perpetua morbi cruditate, viceque versa signa quævis coctionis cum Respiratione fere desperata.

In hisce difficultatibus pro more ad *Hippocratem*, ceu ad sacram ancho-

ram,

ram, confugere, antequam diagnoſin ac prognoſin formemus, ſolemus, examinaturi quid circa hæc obſervaverit ille, quî in hisce ſe geſſerit?

Epid. 7. pag. 1208. 1209. in Hiſtoria *pueri Eratolai* dyſenterici miramur terribilia tot ſymptomata, graphice ibidem deſcripta, unico in homine poſſe contingere, ab homine poſſe tolerari, poſſe poſt tot tantaque eundem ſaneſcere hominem. Aſt in media enarratione *Hippocrates*, interrumpens filum orationis, jubet attendamus ad id, quod πνεῦμα ὁποῖον ὑγιαίνοντι, reſpiratio haud aliter ipſi, quam ſano homini ſolet, contigiſſet.

Ibid. pag. 1212. 1213. *Cydis* ſive *Cydios filium* legimus morbo terrifico, diuturno, affectum, & (quia neque de morte, neque de alio morbo ulla mentio,) ſanitati reſtitutum. In tanta calamitatum pravitate unicum no-

tat memorabile: „ πνεῦμα δὲ ἐπιείκως „ διὰ παντὸς μέτριον: Reſpiratio per „ omnia, fere ſemper, erat mode- „ rata.

Dixerat in Prognoſticis, ſæpiusque repetiverat: „ Oportet conſiderare „ reſpirationem vim habere magnam „ in cunctis morbis acutis. „ Unde adeo ſollicitus fuit Reſpirationis modum plerorumque ægrorum ſuorum, ac *pravæ* maxime in letalibus, enarrare. Hinc quandiu bonam Reſpirationem cernimus ægrotantium, concludimus ſpem vitæ magnam ſupereſſe, quod aut illibata, aut perpaucum læſa tantum, innumera organa eſſe oporteat, a quibus vitæ dependeat perrennitas; quodque cruditatis etiam ſummæ coquendæ ſpes bona affulgeat. Hinc nunquam deſperabundi? Nunquamne triſtis eſt facienda prognoſis? Non triſtis, ſed ut-

cum-

cumque dubia tamen. Vel enim nobilis hæc functio perennando universam morbi cruditatem emendatura, coctura, expulsura est, sanitatemque reddítura; vel, copia ac malignitate crudorum humorum aucta, functio bonæ Respirationis lædetur, ac delebitur, unde mors: quandiu vero bona manet, bonam spem format.

Hipp. Prorrh. n° 102. „ Qui so-
„ pore oppressi, circa initia tenuiter
„ exsudantes *cum urinis coctis* ὄυροισι
„ πέποσι ardentes, citra judicium per-
„ frigescentes, rursum ex brevibus
„ intervallis peruruntur, torpidi, so-
„ porosi, convulsi, perniciem habent.

Galenus qui bonis urinis nimium ubique fidit, voluit pro τὸ ὄρον πέπον, legere ἐπίπονον: sed 1mo omnes fere autores hic se *Galeno* opponunt, dicentes lectionem esse genuinam τὸ πέπον; addunt quidam, ut *Jacotius*,

ſe in moribundis coctam, imo hypoſtaticam, vidiſſe. 2do Quod *Hipp.* hic, idem ſignificat *Coac.* 180. verbis iisdem, & convenit cum ſenſu *Coac.* 579.

Quod *Hipp.* in hoc loco notat de bonitate urinarum in ſumma morbi pravitate; quod *Jacotius* in peſſimo morbo de urina hypoſtatica obſervat; idem in Juvencula brevi ante mortem cum peſſimis morbi ſymptomatibus per plures dies obſervavi.

Epid. 2. pag. 1015. *Bion* eodem tempore & crudas habuit urinas multas, & criticam naris ſiniſtræ in ſplenitide hæmorrhagiam; relapſum licet deinceps paſſus, ſervatus eſt.

Vidit *Hipp.* Coac. 582. diuturno tempore crudas urinas, cum cæteris omnibus ſignis ſalutaribus, tam frequenter, ut auſus fuerit regulam inde condere criſin per abſceſſum prædicendi.

§. VII.

§. VII. Attamen ab alia parte ad firmam prognoſin, certamque ſalutem urinas cum cæteris bonis ſignis bonas paſſim requiri ab *Hippocrate* eſt certo certius.

Pro parte id jam vidimus in tot hominibus, qui poſt urinas nigras, ſubnigrasve, perierint; pro parte id docebunt ſequentia: *Coac.* nº 575. „ Urina in febribus albam, levem „ ſedimen habens, celerem libera- „ tionem denuntiat: „ proſequitur deinde reliquas bonas urinæ conditiones in acutis requiſitas; maxime vero fortunatam Acutorum curam præſagit ex varia urinarum bonitate in magno textu Libr. *progn.* pag. 40. Unde ad mortem *Hermocratis* Epid. 3. pag. 1062. addidit. „ Huic ad uſque „ finem & ſurditas permanebat, & „ urinæ prodibant vel turbidæ, ru- „ bræ, non ſubſidentes, vel albæ,

 „ non

„ non coloratæ, nec enæorema ha-
„ bentes.„ Quæ ibidem pag. 1076. mortua legitur *Iliaca mulier*, hanc notat paucas habuiſſe tenuesque urinas. Idemque pág. 1077. in *Mulieris post abortum febricitantis*, deindeque mortuæ, hiſtoria advertit. Epid. 3. pag. 1080. *Mulier in foro Mendacium*, quæ die 14. mortua eſt, minxit die 8. multum craſſumque inſcia, die 10. mane multum ac nihil ſubſidens. Et pag. 1083. in graſſante morbo, quæ multos ſternebat, lotium perturbatum fuit, multum atque pravum. Pag. 1085. in peſſimo genere Febris ardentis, ac Phrenitidis: „ Urinæ co-
„ pioſæ, tenues, nec critici quid,
„ aut levantis, habentes.„ Et paulo poſt: „ Vel enim denſæ erant, vel
„ nullo modo habentes aut coctiones,
„ aut utiles purgationes. Pag. 1001.
„ *Homini Calvo*, ad 4. diem mortuo,
„ Co-

„ Copia urinarum prodiit, nunquam „ bonarum. „ Pag. 1100. Illius qui 4. die *Phrenitide perierat*, „ urinæ tenues „ fuerant, parva enæoremata habentes, „ διεσπασμένα, divulsæ, non subsiden- „ tes. „ Pag. 1093. *Pario* ad 120. diem mortuo urinæ fuerant perpetuo malæ.

Memorabile quoque magnum Virum Lib. I. Epid. pag. 953. suspicari ne *Bioni*, *Cratiæ*, *Aretonis puero*, & *Mnesistrati uxori*, ideo post prægressam judicationem Dysenteria fuerit suborta, quod post judicationem urinas reddidissent dilutas multas, liquidas, ac tenues.

§. VIII. Porro hæc ita, quemadmodum jam monui supra, non sunt intelligenda, ac si ob solius urinæ pravitatem, sedimentique defectum, *Hippocrates* desperatas credidisset ægrorum res; verum proprie tunc, quando, una cum urinæ vitiis, cruditatis

notabilioris indicia in excretionibus reliquis, & præprimis in Vitalibus aderant functionibus: erat enim perpetua sibi & inviolabilis Lex haud judicandi unquam ex unico signo, sed ex multorum collectione, ut patet ubique. Hanc Coï immortalis legem & nos observantes, nunquam boni quid ad Lectos ægrorum præsagimus, si multa alia prava signa pravas comitentur urinas: nunquam spem sinu fovimus, si una cum optima urina, & quidem constanter hypostatica, alia signa perniciosa, functionum potissimum vitalium læsarum, animadvertantur. Quod autem de urinis, hoc quoque de aliis quibuscumque signis sive cruditatis, sive coctionis, dictum velim. Et e contrario quotiescumque in Laterum Pulmonumve inflammatione cum sputis aut nullis, aut pravis, aut paucis, bona alvus seu sola,

la,

la, ſeu bonis ſociata urinis, levaret pulmonem, viresque repararet collapſas, nunquam prognoſin infauſtam formavi, lætique mecum Medicinæ Studioſi plurimos pectore inflammatos vel ſine ullis bonis ſputis, vel cum bonis duntaxat poſt criſin prodeuntibus, egregie curatos ſalutarunt. Sed bona alvus, & probe hypoſtatica urina nunquam inani ſpe animos lactaverunt noſtros, quando partes alias, easdemque nobiliores, cruditate notabiliore laborare cernebamus. Pariter egimus ad inſolita: haud parcius enim laudavimus illa, modo prodeſſent, quam ſi conſuetas ſuas obſervaret Natura leges. Præiverat exemplo *Hippocrates* ſuo. Epid. 1. pag. 951. Noverat conſueta lege Febres ardentes ſolvi ſudore, alvo, urinis, hæmorrhagiis; aſt didicit tamen poſtea eos qui urinas aut nihil aut parum

modo hypoſtaticas, & plerumque dilutas admodum reddidiſſent, modo inſolito Dyſenteria curari. Rarior ſane Pleuritidis per ſudores judicatio; *Anaxionem* tamen Libr. I. Epid. licet 27. die cocta ſputa ejiceret, legimus nihilominus perfecta judicatione non fuiſſe abſolutum, niſi largis, qui de toto corpore, ad 34. morbi diem profluerent, ſudoribus.

Equidem *Carolus Piſo* de Coll. ſer. ſect. 3. cap. 9. putavit haud inſuetum eſſe ut ſudores pleuritidem judicent, idque ſe in pleuritico cive *Pontano* obſervaſſe, quinimo *Hippocratis* id ſe autoritate confirmare poſſe. Verum legitimam hanc *Pontani* civis pleuritidem fuiſſe & ipſe poſtea pag. 254. dubitavit, & nos dubitamus cum illo; deinde quem laudat Coacarum 393. textum, is haud videtur nobis id, quod ipſi, ſignificare, niſi alio

ſen-

ſenſu & modo. „ In his igitur, ait
„ *Hippocrates* ibidem, & omnibus
„ qui Pulmonum affliguntur morbis,
„ bonum quidem eſt facile morbum
„ ſuſtinere, dolore defungi, ſputum
„ prompte expuere, facile ſpirare,
„ ſiti eſſe vacuum, reliquum corpus
„ æqualiter incaleſcere, ac molle eſ-
„ ſe. Ad hæc ſomnos, *ſudores*, uri-
„ næ eductionem, laudabiliter fieri;
„ quibus contraria mala ſunt. Quan-
„ documque ergo bona hæc omnia
„ *huic ſputo* (quod mox ante deſcri-
„ pſerat optimum) adfuerint, homo
„ ſervabitur. „ Clarum eſt Sudo-
res hic ab *Hippocrate* laudari, & al-
vum bonam, bonasque urinas, ſed
tamen ſic, ut ſputa morbum præci-
pue judicent, id quod non ita in *Ana-
xïone*; licet laudabilia ſputa ad 27.
diem ejeciſſet, eguit tamen ad judi-
cationem abſolutam ſudore 34. diei.

Hæc

Hæc nobis animo præſentia, multa utique dubia levant, multa etiam quæ certa credideramus, dubia reddunt, Artisque genuinos obſervare terminos docent; quæ tantummodo vere certa pro certis, pro incertis ac dubiis dubia tradit. Sic ſcilicet hæc nos docent plures exceptiones, ſeu naturæ a conſueto tramite aberrationes, ut muniti quidem ſimus, dum occurrunt nobis, aſt nihilominus ad conſuetas ejusdem leges nos indeſinenter conferamus, niſi nos illa, vi phenomenon aliorum, cogat exceptionem a regula ſua generali agnoſcere.

Suo iterum exemplo id docuerat admirabilis per omnia *Hippocrates.* Ecquis Viri in Arte certitudinem & fiduciam non ſtupeat, dum animo meditantem ſuper conſuetas naturæ vias Epid. 7. pag. 1229. illum cernit! *Fullo in Syro*, præter alia prava ſym-

ſymptomata, urinas poſuit citra ſedimen limpidas, & citra evacuationes criticas ullas; & ad diem 18. certe non criticum, judicatur. Stupefactus primo titubat *Hippoc.* & quî demum hoc portentum explicet, anxio animo volvit. Ea occaſione *Nicoxeni* recordatus, qui quoque citra ſudores aliasve evacuationes, die 7. ſic judicatus eſſet, ut belle ſumeret ſuas ſorbitiones, ſuum vinum, ſuas uvas inſolatas, ſed quem 17. die deprehenderit in peſſima poſt criſin tam infidam recidiva, ut ab ea illum non niſi magnos poſt labores die 20. ſervaſſet, & ſanaſſet; intelligit ejusmodi criſeos perfidiam, eaque probe confirmatam videt perpetuam ſuam experientiam: ſed eo minus, cur *Fullo* in ſanitate perſeveret, capit. Tandem incidit ipſi in mentem, quod *Fulloni* enema ex *Thapſia* paratum in-

je-

jectum ſit, rogatque num forſitan paradoxi cauſa lateat in eo, quod alvus enemate ſæpius mota, morbi eduxerit materiem? ſicque febris citra ullas evacuationes alias, rariore cæterum diëi minime critici exemplo, judicata ſit? Alvum non videtur conſpexiſſe, firmiorem ſententiam alioqui prolaturus.

Quod porro *Coüs*, non niſi ejusmodi conjectura arrepta, hoc problema ſolvere ſe credit poſſe, nos convincit de ejus obſervationum certitudine inconcuſſa, doctrinæque æternitate. Simulque fateor, inter tot Naturalium Legum exceptiones, me nunquam in Acutis, in quibus Reſolutionis benignæ ſpes nulla eſſet, neque in privata praxi, neque in publica, quemquam ſine quapiam evacuatione judicatum vidiſſe; eamque ob cauſam ſemper & prædixiſſe, &

even-

eventu confirmasse, aut recidivas, aut alios morbos, aut mortem, si casus talis observaretur.

§. IX. An idem judicandum, ac metuendum, si morbus acutus citra ullas evacuationes, præter eam hypostaticarum urinarum, judicatus esset? An vero, etiam cæteris evacuationum criticarum feriantibus organis, solæ urinæ sic omnem morbi materiem critice eliminare queant, ut tuta sequatur integraque judicatio?

Profecto Rariores sunt casus, in quibus morbi acuti per unicam modo excretionis viam plane judicentur; adeoque, quemadmodum frequenter non contingit, ut cæterarum evacuationum unica duntaxat totam morbi materiem eliminet, ægrumque perfecta judicatione absolvat; ita quoque frequens ea urinarum non erit. Veram tamen crisin Acuti morbi ut

olim

olim in praxi, ita in Nosocomio vidi; sic quidem ut cæteræ excretiones aut naturales omnino essent, aut plus minus cruditatem redolerent; urinis vero hypostaticis constanter emissis morbus levaretur, reliquæ excretiones emendarentur, & perfecta sequeretur judicatio.

Hoc idem *Hippocrati* sic visum esse ejus opera arguunt. Epid. 1. pag. 955. ,,Atque in hoc statu (febris
,, ardentis) ex quatuor maxime si-
,, gnis servabantur hi, quibus *aut*
,, ex naribus sanguis profluxisset, *aut*
,, copiosæ urinæ, quæ multam ean-
,, demque pulcram hypostasin habe-
,, rent, per vesicam exivissent, *aut*
,, qui per alvum turbulenta biliosa
,, tempestive demitterent, *aut* qui
,, fierent Dysenterici. Multisque con-
,, tigit ut non ab uno horum descri-
,, ptorum signorum judicarentur, sed

,, ut

„ ut plurimi per omnia decurrerent,
„ graviusque habere viderentur. Sed
„ hi omnes, quibus iſta continge-
„ rent, incolumes evaſerunt. Mu-
„ lieribus etiam & Virginibus con-
„ tingebant quidem hæc præſcripta
„ ſigna omnia; *quibus autem horum*
„ *quidquam* bene fieret, vel Mulie-
„ bria liberaliter apparerent, per
„ hæc ſervabantur & hæc judicabant.
„ Nec periiſſe ullam novi, quibus
„ *horum quid* bene ſucceſſiſſet. Nam
„ *Philonis filia*, cum liberaliter ſanguis
„ de naribus fluxiſſet, ideo mortua
„ eſt, quod 7. die, (quo judicaba-
„ tur,) intempeſtive utique, cæ-
„ naſſet.

Epid. 2. pag. 1027. Metaſtaſes ex imperfecta criſi futuras expectat, niſi urinæ eruperint. Ergo credidit morbi materiem, quæ in corpore reſtitaverat, critice excerni urinis poſſe.

Ibidem in *Scopi* acuto morbo, ut etiam pag. 1085. & 1056. vocat urinæ hypoſtaſes *Corporis in morbis purgationes.* „ οὖρα κάθαρσις πολλὴ, inquit „ και πλήθει, καὶ ὑπόστασει. Urinarum „ purgatio multa erat, tum copia, „ tum ſubſidentia. „ damnatque urinas „ nec coctiones, nec probas pur„ gationes habentes „ laudat illas, „ quæ probæ eſſent per Veſicam ex„ purgationes.

Epid. 1. pag. 956. „ Quibus fe„ bre judicatorie deſinente paroti„ des, in febribus cum dolore ſub„ ortæ, neque conquieſcunt, neque „ ſuppurantur, eos Diarrhœa bilioſa, „ *vel* Dyſenteria, *vel* Craſſarum uri„ narum hypoſtaſis liberat; quale „ quid *Hermippo Clazomenio* evenit. „ Videmus iterum urinas hypoſtaticas dignitate & præſtantia critica certare cum alvi criticis evacuationibus.

Epid.

Epid. 4. pag. 1121. „ Hæmor-
„ rhagiæ erant, & per urinas purga-
„ tio & crisis. Αἱμόρροοι, καὶ οὔροισιν
„ ἡ κάθαρσις, καὶ ἡ κρίσις.

Ibid. pag. 1131. „ diserte affirmat
„ *Menandri Vinitori*, cui alvus circa
„ initia liquida fluxerat, nunc vero
„ substiterat, per solam urinam judi-
„ cationem contigisse. Καὶ τὸ οὖρον
„ ἐκρίθη.

Epid. 3. pag. 1083. describens malignum in febribus Erysipelas, in pessimos artuum, pudendorumque abscessus abeuns, „ illud vero ipsis in-
„ erat, inquit, ut quæcumque ab-
„ scessum facerent ad suppurandum,
„ si *vel* tempestiva, opportuna, alvi
„ perturbatio, *vel* probarum urina-
„ rum transmissio fieret, per ea ipsa
„ solutio procederet.

Unde & Aphor. 4—74. statuit à futuris alioquin in morbo abscessibus

ægros Urinam, quæ craſſa reddatur albaque, liberare; liberationem vero hanc citius contingere, quando abſceſſuum futurorum materies duplici via eliminetur, narium hæmorrhagia & urina. Igitur pari paſſu urina procedit hic cum hæmorrhagia, ut paulo ante cum critica alvo.

Coacarum 575. „ Urina ſubrubra, „ habensque ſubrubram hypoſtaſin, „ atque lævem, ſi quidem ante ſe„ptimum diem fuit hujusmodi, ſe„ptimo die (aut ſeptimam febrem) „ ſolvit. ἑβδομαῖον ἀπολύει.

Aphor. 7—54. criſin iterum certam declarat urinis dicendo: „ his „ per venas in Veſicam pituita ver„ſa, morbi fit ſolutio: „ Hunc Aphoriſmum *Duretus* vocat graviſſimum ſuper urinæ materie, *& ſuper Criſi per eam ſuſcepta & edita.*

Coac.

Coac. n° 207. „Ex acutis morbis,
„ in febribus ardentibus maxime tu-
„ bercula ad aures exoriuntur, ac,
„ nisi critice solvantur, & mature-
„ scant, *aut* sanguis ex naribus pro-
„ fluxerit, *aut* urinæ crassam hypo-
„ stasin acceperint, ægros inter-
„ imunt.„ In quem textum *Prosper Martianus* advertit *Hippocratem* in Prognosticis laudare in Acutis mitioribus urinam hypostaticam per omne morbi tempus, non qua signum coctionis, sed qua signum mitissimi morbi, & materiei benignioris, *unde morbi solutio evenit per solam ejusdem urinæ excretionem*: Criticas deinde urinas non differre ab ea Libri prognosticorum, nam eos referens *Hipp.* modos, per quos febres solvuntur, urinam concoctam apposuit, inferens solam urinæ coctionem *absque alia evacuatione*, ad morbi solutionem facere. Et quid

clarius in hanc rem dici poteſt, quam dixit *Hollerius* Lib. 3. ſect. 3. Coac. pag. 1047. „ Atque aliquando judicari pleuritides multa urina & „ biliosa micta ſcripſit *Hippocrates*. „ Et nos vidimus pleuritides graves „ diſſolutas urinis multis, craſſis, & „ nigris; converſa, ut *ſenex* ſcripſit, „ deorſum materie: quod certe minus mirum videri debet, quam „ Peripneumonias urinis ſolvi. „ Et pag. 824. „ Pus in pulmone effuſum, „ a natura attenuatum, transmittitur in Venas, & Arterias; atque „ hinc modo ad renes, modo ad inteſtina, dimittitur: mirabili naturæ providentia, omnia moliente, „ ut ſalutem ægro quærat.

Eundemque in locum *Jacotius*: „ Ex „ quo fit, ut per urinas pulmonis „ vomicæ critice expurgari poſſint.

Et

Et *Pr. Alpinus* Lib. 6. Cap. 16.
„ Per urinas plures Acutorum mor-
„ borum fuiſſe judicatos & nos vidi-
„ mus, & *Hippocrates* in Epid. ſe vi-
„ diſſe ſcripſit. „ Addit deinde ex *Galeno* ſigna, quibus criſis per urinam futura prænoſcatur; ſi nempe deſunt ſigna omnis cujusque aliûs evacuationis futuræ; poſtea ſigna a ſe obſervata adjungit, ubi præter ſigna *Galeni* ponit morbum non admodum eſſe vehementem, hypogaſtrium grave ac dolens, & in veſica veluti inflationis perceptionem.

Unde recte *Jacotius* in Libr. IV. Comm. Coac. pag. 240. urinam ſic Criticam conſiderat in ſua natura, ut ipſa ſputa pulmone ejecta.

Et *Boerhaave* §. 1016. Inſtit. ubi n° 1. quandam hypoſtaticam urinam toto morbi tempore emiſſam conſideraverat, veluti indicium optimumque

 mor-

morbi præſagium, deinde n° 2. „urina multa, ait, alba, ſtranguriofa, „ cum ſedimento copioſo alboque, „ critico tempore emiſſa, *ſanat*, & „ *abſceſſus tollit.* „ Etiam §. 938. omnes criticas evacuationes recenſens, ſputa, alvi fluorem, urinam, hæmorrhagias, &c. urinam iterum ut paris ad criſin efficaciæ & dignitatis, quam ſputa, quam alvi fluorem, quam hæmorrhagias, conſiderat.

Jure igitur concludere videmur, exiſtente inter ægros noſtros eo quandoque caſu, ut præter urinam criticam nulla prorſum alia evacuatio contingat, non minus fauſtam prognoſin dandam eſſe, cæteris paribus, quam ſi in aliis, aut per ſolum ſudorem, per ſolam hæmorrhagiam, aut ſola ſputa, aut alvum, morbi expellatur materies.

§. X.

§. X. Cum ex omnibus hucusque dictis pateat, quod ad crisin bonam determinandam oporteat dies morbi accurate notare, adeoque morbi principium exacte definire; haud citra difficultatem id efficere sæpe non possumus. Non raro namque apud multos, potissimum plebejos, contingit, ut, seu ingenio, seu morbo, stupidi, ignorent qua die, qua diei hora, primum morbi experirentur insultum, & ut quotiescumque de integro examinentur, vacillent. Ubi nunc ab eorum Consanguineis, Necessariisve, id rescire non datur, res dubia manet. Hi tamen numero sunt pauciores. Dantur autem numero plures, qui initia morbi exacte teneant, sed ubi dubites utrum cum incommodis principio perceptis acuta, qua laborent, febris una occeperit, an vero accesserit postmodum.

Lassitudines spontaneæ passim adfuere; sed hæ Aphor. 2—5. æque morbos futuros denuntiant, quam præsentes. Dolores Capitis, artuumque, inappetentiam, nauseam, haud minus Acutos morbos præcedere, quam comitari, docent nos ægri, qui ab ipso nos convocantes principio, hæc symptomata sæpe ante primum febris insultum patiuntur. Ambigui itaque sæpe hærentes in Nosocomio, Oraculum pro more consulimus.

Epid. 3. pag. 1106. *Herophytus* rectus incedens, ὀρθοςάδην, & obambulans, capite autem dolens, videtur jam a principio febricitans ab *Hipp.* credi, ex symptomatum, quæ a principio cephalalgiam concomitabantur, syndrome.

Sed ibidem pag. 1111. *Apollonius* videtur diutius ante febrim male habuisse, *erectus licet & obambulans*; acutæ

tæ autem febris initium non habuiſſe, arbitro *Hippocrate*, niſi quando per intempeſtivum potum, intempeſtivumque carnis bubulæ eſum, inciperet incaleſcere.

Mulier in Thaſo moroſa & aſpera Epid. 3. pag. 1108. die prima incommodi percepti, licet *erecta & obambulans*, ejusmodi ſymptomata habuit, ex quibus *Hippocrates* febris inchoamentum cum prima ſymptomatum origine notaverit.

Qui poſt cœnam in ſomno horrore correptus, Epid. 7. pag. 1230. ſurrexit mane capite gravis, horruit, vomuit, gravitas capitis perſeveravit, ſub noctem remiſit, ad usque ſecundi diei meridiem. Rurſus inhorruit tum, noctemque tulit moleſtam. Haud tamen ante tertium diem ſymptomatum horum, cepit *Hipp.* febris acutæ notare initium, quæ demum, ut

vi-

videtur, ad 14. diem morte terminata est. Facile nos in Historia ægri febrim initio jam adfuisse suspicaremur, sed *Hippocrates* ex signis quæ hic non memorat, v. g. ex defectu caloris, ex pulsu, certus fuit, quod hominem non sit, nisi tertio die, aggressus.

Epid. 7. pag. 1231. Anamnesin refert *Anaxenoris*, quod Lienosus scilicet & pravi esset coloris, quodque obortus sinistro in femore tumor derepente evanuisset. Data hac Anamnesi, morbum præsentem sic infit: „ Neque multis post diebus ad Lie-„ nis regionem exorta est illi per ini-„ tia veluti Epinyctis, insuperque tu-„ mor, ac dura rubedo. Post quar-„ tum autem diem Febris ardens „ suborta est, & in ambitu omnia li-„ vida apparuere, ac veluti putri-„ da. Mortuus est leviter antea pur-

„ ga-

„ gatus, mentisque compos. „ Vel ægrotum ante quartum diem vidiſſe *Hippocratem* oportuit, vel ex *Theſſalo, Polybio, Draconte*, aliisve, hiſtoriam morbi adeo accurate tenuiſſe, ut Epinyctidi, rubroque tumori febrim defuiſſe, eamque haud niſi poſt 4. diem acceſſiſſe, ſtatuerit.

Epid. VII. pag. 1238. *Epicharmi puer* primo die necdum febricitaſſe videtur, ſed apepſiam contraxiſſe, id eſt cruditatem ex deambulatione, qua excalefactus ſupponitur fuiſſe, & ex potu, quo frigido æſtuantem ex motu ſanguinem condenſaverit, omnemque perſpirationem ſuppreſſerit. Ab introverſa tranſpiratione ad Ventriculum Nauſea orta Vomitusque. Altero die anxietatem paſſus emeticum ſumſit ex aqua cum aceto & ſale. Poſt pituitæ vomitum, rigor primum ac febris acceſſit. Tertio die febris

ma-

major. Quarto die morbi totius, ſcilicet tertio die febris, mors.

Epid. 3. pag. 1070. *Philiſtes in Thaſo* diu capite doluerat, & ſoporoſus ante morbum acutum decubuerat: Morbi vero acuti, cujus die 5. obiit, initium *Hippocrates* notavit duntaxat ex quo in morbo abuſus potibus eſſet.

Hisce, ſimilibusque muniti obſervatis, dum minime ſtupidi ægri ſunt, probeque exiſtunt memores antegeſtorum, exacte, opinor, determinare novimus, utrum cum ipſis primis perceptis incommodis, an vero poſtliminio ortus ſit, quo laborant, morbus acutus. Febris enim indicia, majore calore, cæterisque ſymptomatibus ſociata, hic juvant; licet plures pauperum ſuos, quibus victum quæritent, labores, per unum, pluresve dies, adhuc continuarint. Diffitendum tamen non eſt dubium ſu-

per-

pereſſe nonnunquam tale, ut incertitudo per totum morbi decurſum perſeveret, nec morbus ad demonſtrationem regularum Hippocraticarum ullo modo ſit accommodandus.

Quæ ſi ita ſe habent, an non capimus, quam inique nonnulli Hippocraticarum legum de diebus criticis inconcuſſam negent veritatem & conſtantiam? Si primo non utantur prudentia *Hippocratis* in determinandis Acutorum initiis; ſi ſecundo non abſtinent ab applicandis hisce regulis ad caſus incertos; ſi tertio, ut bene notat optimus *Baglivus*, contra Leges Hippocraticas naturam præpoſtera medicatione interturbent; habebunt unde perpetuo in *Hippocratem* invehantur, dum in ſe ſolos invehi illos oporteret, dumque ſuis invectionibus falſis *Hippocratem* magis confirment, quam oppugnent.

§. XI.

§. XI. An, Crisi bona contingente, certo determinare possimus, utrum ægri perfecta judicatione absoluti sint, an vero recidivam timendam habeant, aliosve morbos?

Ne absolute unquam hic determinent, Auditoribus meis Autor perpetuo sum. Exceptis enim casibus, ubi Epidemiæ natura talis est, ut omnes fere recidivent, qualem *Hippocrates* sic describit Epid. 1. pag. 956. 957. „ Haud scio an eorum cuiquam, qui superfuerunt, rite facta recidivæ non recurrerint, omnesque, quod sciam, servabantur, quibus hoc recidivæ genus contigerit: „ exceptis observatis Epidemiæ, in qua vix recidivæ apparent, qualem *Hipp.* describit Epid. 2. pag. 1020. ajendo. „ Nec nisi admodum paucis recidivæ contingebant: „ hisce, inquam, exceptis,

in-

innumeræ causæ existunt, quæ recidivam morbi ejusdem, quæ morbos ex acuto alios, quæ demum cum optima crisi mortem inferre queant; adeoque summam in præsagiendo nobis inculcent prudentiam. Causæ hæ ab ipso morbo petendæ sunt, ab ægro, ab assistentibus ipsi, a Medico, ab errore Pharmacopæi &c.

1mo Ab ipso morbo vel corpore morboso pendere ejusmodi casus, docent nos quotidiana observata. Novi ex regulis criticis requiri criticæ evacuationis eam constantiam, ut omnis morbi materies de corpore expellatur: Quis porro Medicum certiorem reddet fore ut, quam laudet, quam gaudeat, critica evacuatio, ejus sit constantiæ? Ex causis nobis ignotis; ex non sufficiente virium expultricium robore; ex facili recessu materiæ per circulationem motæ in nobiliora lo-

ca; ex angustia finium minimorum canalium, quos permeare critice motus, expellendusque humor, debeat; optima crisis quæ gaudia excitaverat, in luctum vertit. Ne longus sim, qui Historias ægrorum apud *Hippocratem* attente revolvit, pluries has similesque bonæ, sed non perennantis, criseos, reperiet causas.

2do Ipsi ægri vix judicati, animi passionibus, errore regiminis, diætæ, imaginatione venerea &c., bonæ suæ perdunt judicationis effectum. Cur *Philonis filia*, quo ipso die optime judicata erat, periit? Intempestive cœnando debilem obruerat naturam, vasaque debilitata sua copiosiore chylo infarciverat, quam illa essent transmittendo. Quare *Moscho* die 14. ut debebat, bene judicato, tam pessima recidiva? *ἁμαρτάδες ἐρωμάτων ἐγένοντο*: Die 17. errata in cibo-

borum ratione contigerant. Cur *Scopus* Epid. 2. pag. 1028. post crisin Synanches inciderit in alvi segnitiem, febrimque continuam? *φλαύρως διαιτηθέντι* respondet *Hippocrates*: improba utebatur diæta. Si aëre nimis libero utantur, dum v. g. crisis per sudores fit, continuat, imo aliquando, ut *Sydenham* in quodam morbo advertit, 24. horis perseverare debet, aër frigidior imprudenter admissus omnem nostram spem ilico fallit. Præterquam quod aëris mutatio spontanea morbos mutet, eorumque symptomata. Fuerat *Perinthi*, Epid. 2. pag. 1020. aër in Epidemicis morbis siccus diu calidusque; ast cito mutatur in humidum a copiosa minutissimaque pluvia: tanta hinc in acutis mutatio, ut qui iis non nisi ad finem contigerant, sudores, jam ægros ab initio invaderent. Ponamus tale

 quid-

quidquam contingere dum v. g. nunc fit critica per alvum aut urinam evacuatio : mollitudo cutis aëre calido humente nata, allicit motam per circulationem morbosam materiem, quæ forte, apta quidem ut systemate mesenterico, aut renali, excerneretur, minus apta erit, quæ per cutaneos evacuetur poros, crisimque sic turbatam monstret.

3^tio Ab iis, qui ægro adsint, inserviant, adeant, turbari critica evacuatio potest. In irato ob uxoris morositatem viro, in alio quem uxoris cum alio viro adstantis zelotypia torquebat, visitantium hominum importuna multitudine, vidi anxietates ortas, crisesque turbatas. Nec desunt, qui res eo tempore haud concedendas ad manducandum aut bibendum suadeant, obtrudant; id quod ne Medico subolfiat sæpe religiose ca-

vent;

vent; ſique ille quid ſuſpicatus, interrogaverit, præfracte negant, culpamque turbatæ naturæ in Medicum impudenter refundunt. Cum a tot tantisque rebus fortunata judicatio morbi turbari queat, quis non videat, quam plena dubiæ aleæ ſit, quamque circumſpectum eſſe oporteat in prognoſi?

4to Ad evacuationes criticas a Medico medicamenta, quæ eo usque data fuerant, incaute continuata, imprudenter ablata aut mutata; evacuatio critica quod nimia crederetur, ſuppreſſa, imminutave, vel quod minor falſo ſupponeretur, imperite aucta; nimia Medici in uſu alimenti aut potus, indulgentia, virium intentione reſtaurandarum, ut ad laborem ſuſtinendum æger ſufficiat; aut diæta continuata, quæ in vigore morbi bona, jam inſufficiens eſt; famulo-

lorum Pharmacopolæ forte errores in paranda, apportandave, medicina, & millena id genus alia, criticam evacuationem turbare, minuere, augere, sufflaminare possunt.

5to Quid quod Crises sint, quæ videantur perfectæ, nec tamen sint? Quæ sanitatem reparasse appareant, nec reparaverint tamen? Intereaque temporis homines quid vitii in corpore alere minime credantur, & nihilominus alant? Hoc genus vitia nonnunquam a bona natura sic coqui, alvoque, aut urina, aut perspirationis organis, tam blande eliminari, ut æger prorsum ignoret, credibile omnino est; sed sæpius post simulatam aliquantisper sanitatem, varios in morbos erumpere, testatissimum est. Desumatur a Variolis exemplum. Hisce sic defuncti, ut perfecta valetudine frui videantur, si vena

na

na tundatur, fundunt æmulum pleuriticorum ſanguinem. Cum omnibus propemodum Varioloſis meis, *Sydenhamo* docente, ſemel, bis, ter, a curatis variolis ſanguinem detraxerim, potero centenis confirmare, quod hic aſſero, exemplis. Porro ejusmodi cruor in corpore circumductus, videtur in multis ſic ſenſim ſubigi, ut attenuatus inſenſibiliter eliminetur, aut etiam ſic, ut diatheſin phlogiſticam amittat; attamen, quod dolemus toties, poteſt ſubitaneis in cute tumoribus furunculos generare, abſceſſus ad articulos, ad oculos inflammationes, ſuffuſiones, cataractam, amauroſin; ad aures baruëkoiam, ſurditatem; ad pulmones aut vomicas, aut puris continua ſputa, variaque ad viſcera & partes, alia atque alia, formidandos morbos creare. Haud eget confirmatione Theſis, quam, heu nimium!

mium! demonſtratam mecum dolent omnes practici, ſi poſt variolas venæ ſectiones negligantur. Multi quidem inter variolarum curationem & erupturos poſtea morbos, languent; verum non deſunt plures, qui, ut monebam mox, ferant hanc diatheſin inſenſiles, inſcii, uſque ad tempus, quo alius inde erumpat morbus.

Sane miri caſus, quos ſuppeditat praxis, millies mihi in memoriam revocant ſententiam *Hippocratis*, quam inexperti rident, experti mecum veriſſimam agnoſcunt. Libr. I. de Morbis pag. 456. de Abſceſſibus agens, qui multis in pulmone, ſæpe letales, naſcuntur, addidit „eſſe, qui ob bo„num corporis habitum eosdem in „ſe fieri, ne ſentiant quidem.„ Binos memorabo quos hac æſtate habui caſus. Vir nobiliſſimus in Moravia, totus toroſus, ac ſanus, vomicarum in-

ingentium in thorace latitantium prorſum ignarus vixit, donec in prandio ab oſſiculo aviculæ imprudenter quidem, ſed feliciter, deglutito, maximas pateretur anguſtias, & ſub conaminibus extrahendi oſſiculum excitata tuſſicula, ſubito pus expueret, horrende fœtidum, ad plures libras; poſt aliquot dierum quietem denuo plures libras, atque ſic per 7. 8. vices, ut vix auſim deſcribere dolium, quod pure plenum eo tempore evacuaſſe ſe æger affirmet. Norunt mecum caſum bini celebrandi in arte Viri, qui ægrum tractantes, mecum ſuper eo ſæpius conſuluere, Doctiſſimus *Sagar* Phyſicus, meritiſſimus Circuli *Iglavienſis*, Botanices ſimul ac Hiſtoriæ naturalis eximius Cultor; & Doctiſſimus Dominus *Magh*, Archiater Nobiliſſimæ & Excellentiſſimæ Comitis viduæ *de Liechtenſtein*, in praxi medica colen-

lenda & promovenda eminens : & quod magis mirabar, bimeſtri ſpatio vix inde exacto, vidi Nobiliſſimum Comitem in prædio meo ſuburbano me viſitantem, adeo ſanum, & toroſum, ut quid in ejus valetudine culparem, invenirem prorſus nihil. In Curatione ejus Lac, Aqua Selterana, Mel, Opium, Cortex peruvianus, primas tenuerunt.

Dixeram diatheſin phlogiſticam longo tempore in corpore circumlatam, haud raro, absque formato primum ſacco, ex ſanguine videri immediate tranſſudare, dilatata vaſa pulmonalia, aut bronchialia, atque purulentorum ſputorum forma expui, ut incautis vomicæ pulmonalis videatur evacuatio eſſe, idque ideo præcipue quod longiore ſæpe tempore hæc continuet ſputorum ejectio. Caſus plures variis in *Rat. Med. tomis*, Anato-

tome demonstratos, communicavi; dabo alium confirmatum sanitate. Nobilissimus Vir ex Rheumatismo dimidii anni, ex Morbillis deinde, & Angina, incidit, anni abhinc spatio, in magnam debilitatem, & in induratum valde hepar, deinde in febrim tertianam. Solvente ac deobstruente remedio, succis herbarum potissimum, curata febris fuit; iisdemque remediis, aqua selterana, atque continuato cataplasmate ad durum epigastrium, hepar denuo molle factum est, vires rediere, somnus, appetitus; ut demum declinante æstate munere suo publico fungi æger, itinera quotidiana curru, aut equo, sanitatis ergo, peragere potuerit, & exceptis flatibus sæpe torquentibus, integram videretur sanitatem adeptus. Ast subito, ineunte Septembri, raucus fit, moxque tussiendo pus coctum album

co-

copiosum commode, unica tussicula expuere cepit, & toto mense Septembri & Octobri continuavit, sanitate interim, liberrimoque semper pulmone, perseverante. In Excellentissimo Comite priore latuit omnes enormis copia puris, vomicis contenta pulmonis; in Posteriore, diathesis purulenta sanguinis magna & copiosa, non nisi numerosissimis innotuit sputis.

Ergo dubia prognosis danda semper est, bona quamvis fiat evacuatio critica, & nunquam post eandem, dum videtur absoluta esse, nimia indulgentia erga ægrum utendum: ne nostra culpa quod forte insensibiliter exivisset, vel recidivam, vel novum morbum faciat; neve in ipsam Medicinam, aut Medicos, refundatur recidivæ, aut deterioris, causa.

Addere juvat historiam ægrotantis letalem, quæ tum per se singularis

est,

eſt, tum egregiam facit plerorumque hucusque dictorum ἀνακεφαλαίωσιν.

Femina 27. annorum, quæ veris variolis bis ſe laboraſſe aſſeverabat, levioremque dabat virulentæ gonorrhœæ ſuſpicionem, morbos acutos pluries perpeſſa, menſes ſuos aliquando interruptos, ſemper irregulares tempore, copia autem paucos, habens, tandem 15. Auguſti proxime elapſi horrore ac frigore, ſpatio 5. horarum corripitur, magno ſuccedente calore. Triſti neceſſitate coacta, laſſum ſuum ac dedolatum corpus ad hortenſes labores iterum admovit, ſuperſtite ad prandium & cœnam aliquo appetitu. Die altera laborem hortenſem eadem difficultate proſecuta, tandem die tertio ingraveſcente morbo lecto ſurgere non potuit, æſtu laborans ingenti, ſiti intenſa, cephalalgia, apoſitia, artuum omnium dolore, vigiliis, &c.

Pul-

Pulverem quo ſudaret ſumſit, modice ſudavit. Die quarto maculis rubris ſibi cutem tingi advertit, veſpere evaneſcentibus. Die quinto maculæ renatæ; pedes, manus, venter, pauculum intumuere. Die ſexto eadem. Huc usque & alvum quotidie habuerat, & nunquam dormiverat fere. Die ſeptimo inchoante, mox ubi ad Noſocomium SS. Trinitatis adducta eſſet, ad nos adferebatur.

Femina hæc quamvis primis morbi diebus labores ſuos proſecuta eſſet, *erecta & obambulans*, ὀρθοϛαδὴν, ex regulis tamen a pag. 73. ad 80. datis judicabatur a nobis acute ab ipſo initio laboraſſe, adeoque acuti ac maligni morbi diem nunc ſeptimum agere. Cum in ſummo æſtu, notante thermometro Fahren. in umbra gradum 81. caloris, febriente corpore laborans valide ſub dio, tenuiora humo-

rum

rum ſuorum diſſipaſſet, incraſſaſſet reliqua, dein ſine auxilio bono, cum intempeſtivo ſudorifero, jacuiſſet, mirum minime eſt petechias acceſſiſſe, morbumque evaſiſſe malignum.

Symptomata porro, die 7. inchoante, hæc invenimus; cephalalgiam, artuum gravitatem, vehementem ſitim, cutem aridam & urentem, aridam linguam, reſpirationem difficilem, fortem ac celerem pulſum, ventrem tumidulum, dolorem, attactu auctum, in latere dextro, eoque inferiore, thoracis, petechias tandem, & ad femora vibices, quæ tamen ex aliquot horis coloris intenſitatem multum dimiſerant.

In toto morbo, undique examinato, nihil non crudum. Petechiæ, & errore natæ, &, quod morbus indies ingraveſceret, vere ſymptomaticæ; ergo tuto, *Sorbaitii* conſilio, negli-

gligendæ, ac ſi non adeſſent; & febris acuta, tanquam plane cruda tractanda. Unde vena ſecta eſt, diluentia, nitroſa, expectorantia remedia præſcripta, cataplasma dolentibus adplicitum locis. Poſt V. S. reſpiratio paullo facilior fuit; petechiæ, quæ jam illi ad nos intranti minuebantur, plus diſparuere, veſpere vero, quamvis in parvo ſomno leviorem ſudorem, humidamque poſtea ac calidam cutem haberet, vix ultra niſi ex veſtigiis relictis cognoſcebantur.

Veſpere cum calore 102. graduum Cephalalgia ingens, & ferme ſuffocans Reſpiratio, alteram V. S. ſuaſerunt. Symptomatum inde remiſſio.

Inchoante die octavo, licet calor 100. gradum thermometri non transcenderet, febris tamen magna fuit, pulſu minus, quam pridie, ſuppreſſo.

ſo. Perſeverantibus Ventris utcumque doloribus, continuatum cataplasma eſt, & injectum emolliens enema, quod copioſa ſtercora ſolvit, eduxit.

Suffocans reſpiratio, quæ die 7. ad meridiem, & ad ſeram veſperam affuerat, hoc die octavo ad 9. matutinam minus violente, ad 2. pomeridianam poſt levem horrorem violentiſſime ingruit, ita ut, ne ſuffocaretur penitus ægra, tertiam V. S. tentaremus: verum vix fluente ſanguine, & imminente animi deliquio, ſub ſtragulis repoſita eſt, & aceti frigidi aſperſione ac frictione ſic recreata, ut facilius reſpiraret. Calorem notabat tunc eo, qui pridie, majorem; graduum ſcil. 104., percipere ſe affirmabat ſub ſterno corpus veluti durum, ac dolens, quod in paroxyſmo auctum reſpirare prohiberet.

Ex his phænomenis ſuſpicati, ne præter acutum morbum, ſpasmodici quid reſpiratorios afficeret nervos, dedimus inter remedia dicta nonnunquam lene neuroticum, ſpiritum C. C. ſuccinatum, miſtum cum tantillo Diacodii, & admovimus Veſicantia. Nihilominus ad mediam ſeptimam ſubdelirare cepit, valde ſebricitavit, vehementer ſitivit, & cum cute primum jam humida ſudare cepit ad octavam, ſudore per totum corpus profuſo, cum ſomno perturbato. Urinam tunc reddidit, quæ boni coloris enæorema ſuſpenſum habuit. Nox valde inquieta, quietior ad Auroram ſomnus parum modo læſam reſpirationem oſtendebat. Mane febris minor, & calor tantum 100. gr. Veſicantia operabantur.

Signa bona plura hic aderant. Sudor, poſt horrorem, univerſus, ſympto-

pto-

ptomatum emendatio, ſomnus tranquillior, febris ſedatior, calor minor, bonus Veſicantium effectus, urina bona.

Verum contigerant hæc media octava morbi die, quæ non critica: Coctionis ſigna ante ſudorem non adparuerant, & dies 9. continuis omni hora variantibus anxietatibus pectoris, & febribus, transacta eſt. Ergo nihil critici in ſudore prægreſſo. Porro hoc 9. die obſervavimus dormienti, quam vigilanti, reſpirationem liberiorem, quod acuto morbo ſpasmorum adjunctorum confirmavit ſuſpicionem. Interim hoc toto die pulcre fluxere veſicantia, bonique fuit urina coloris, calor 101. gradum tantum notavit. Nox inſequens moleſta, ſudor frequens.

Die 10. inchoante pulſus fortis ac celer, ad meridiem moderatus; ce-

phalalgia continua toto morbo, ſudor indeſinens, apoſitia. Poſt meridiem permutationes perpetuæ reſpirationis ac febris, cum ſomno, ut videbatur, placidiore, aliquoties capto. Enema alvum copioſam, ſtercoraceam, eduxit.

Subnaſcebatur interim ſuſpicio num febris hæc referenda non foret ad ſpeciem illam, quam Libro *de Febrium diviſione* Capite 9. deſcripſi, quam poſtea vidit, accuratiſſime deſcripſit, feliciter curavit, egregius *Lautter*; qualis ſi foret, cortex peruvianus ilico præſcribendus eſſet.

Verum ſpecies illa febrium ad intermittentes urinis, ac maxime pulſu, referendam ſe eſſe docet; noſtra febris erat continua remittens utroque hoc ſigno. An vero etiam in continuis remittentibus, ſi malignitatem redolerent, non dedimus ſæpius ſum-

mo

mo cum effectu Corticem ? Utique daturus fuissem, nisi bonæ eousque & naturales urinæ circa tertiam matutinam, mox instante 11. die in vere Hypostaticas pulcre mutatæ, jussissent paulisper expectare eventum morbi.

Die igitur 11. vere critico, post hypostaticas urinas, placidus somnus, facilior respiratio, multus, isque universus sudor, sputa pauca glutinosa. Hocque die quinquies missæ urinæ, habebant omnes sedimen album, læve, æquale, copiosum. Febris moderata sic, ut post meridiem vix ultra perciperetur.

Igitur habebamus hic plurima bona signa, quæ bonæ Criseos, criticæque evacuationis, certitudinem ad salutem indicabant; sive evacuationes sudorum & urinarum, primumque apparentium sputorum indicium, sive in-

ſignem morbi, ejusque ſymptomatum, emendationem, intuearis.

Principiis vero imbuti Hippocraticis, (vid. pag. 81. n° 1.) cavimus a certitudine prognoſeos, viſuri num bonorum ſignorum gauderemus conſtantia. Prudenter ſane: nam ad 8. veſpertinam reverſio anxietatis in reſpirando; quæ ad 10. remiſſior, tandem ad 2. adeo vehemens, ut intra horam vitam una ademerit.

An malum, poſtremos ſudores prægreſſo caruiſſe horrore? Sed alvus per totum morbum libera fuit. Vide a pag. 9. ad 12. An ſpasmi motam, & critice probe excernendam, natura tamen ſua craſſiorem, materiem morboſam, ſic in anguſtiis pulmonum compreſſerint, ut tota ſimul ſubſtiterit Circulatio? Nunquid, ſimili caſu denuo ſe offerente, cortex peruvianus non foret audacter ab initio

ex-

exhibendus, tanquam antiſpasmodicorum princeps? Si optime hypoſtaticæ urinæ formidoloſas ſe oſtendant aliquando, ut hic, ut & ex *Hipp.* pag. 48. & ſeq. patuit, an non imprudenter imitaremur *Galenum*, tantopere bonis fidentem urinis, ut ex iis ſolis prognoſin credat poſſe formari?

CAPUT III.
DE MORBIS ACUTIS CUM PETECHIIS, AUT MILIARIBUS.

§. I. *Petechiæ & Miliaria rariſſime, ſi unquam, Critica ſunt; frequentiſſime ſymptomatica; ſymptomaticorum vero plurima factitia: quod quamvis demonſtratum pluries, nec dum animis patrium evellere errorem potuit.* §. II. *Hinc natæ Tironum objectiones, & ſcrupuli, contra demonſtrata. Objectio* 1ma *de Aphthis eſt. Oſtenditur hanc ipſam objectionem evincere*

tum Miliaria factitia esse, tum brevi occidua fore. 2da *Objectio ponit si, quæ de calida Methodo, ut Miliaria generante, dixerim, vera essent, Miliaria & antiquiora, & universaliora esse oportere: Respondetur argumento a pari, quo objectio refutetur.* 3tia *Objectio supponit, quamvis* Viennæ *calida Methodus vix in usu sit, tamen & in urbe, suburbiisque, & in omnibus Nosocomiis, etiamque in meo, Miliaria frequentissima esse: adeoque falsum esse, quod eadem generet calida Methodus. Respondetur, salvo honore multorum præstantissimorum* Viennæ *Medicorum, multos medicos, ipsamve plebem, vel utrosque, aut calida medicamenta, aut calidum regimen, aut utrumque, vehementer amare: deinde præterquam a calida methodo, etiam pluribus aliis de causis illa generari: Falso accusari meum Nosocomium, demonstrari Diariis hic communicatis; utpote quæ & rarissima in illo Miliaria, & semper symptomatica fuisse, doceant. Animadversio in imperitos, qui maculas rubras, & sudamina, cum Petechiis & Miliaribus inepte confundunt.* 4ta *Objectio statuens exanthema hoc, ob regularem oriun-*

oriundi, crescendi, decrescendique tempus, criticum dicendum esse, nihil probat: id textu Hippocratis, *plura alia adhuc docentis, ostenditur.* 5ta *Objectio supponit ideo critica esse Miliaria, quod eadem moderari, mutare, minuere non liceat, ut quidem id, quod vere symptomaticum: Respondetur summo ægrorum emolumento, & licere, & oportere.* 6ta *Objectio comparat illa cum Variolis & Morbillis, ponitque male a me negari, quod ut hi illis, sic illæ his, superveniant: respondetur paucis exceptionibus regulas universales non destrui: adeoque jure me negasse.* 7ma *Objectio Me ipsum ut idiopathica descripsisse: respondetur negando.* 8va *Objectio condemnat mea in Miliari febre Methodum, V. S. Eductionem ægrorum ex lecto, Vesicantia, &c. Respondetur demonstrando V. S. necessitatem apud* Germanos, *deinde* Sydenhami *exemplo, a* Boerhaavio *&* Illustrissimo Præside *laudato, meam methodum commendari. Vesicantia id non facere, quod supponit objectio, demonstratur observatis; verus demum illorum usus & effectus ostenditur.* 9na *Objectio nititur testimonium* Fr. Misericordiæ *anni-*

 bila-

hilare; probatur non modo verum fuisse, sed novis constare & firmari experimentis. 10ma *Objectio agit de omisso* maximam partem *in latino* Lautteri *textu gallice reddendo. Respondetur quod incuria fecerim, idem vitium in eodem textu gallice reddendo paulo inferius comissum esse ab iis, qui ob id me carpant.* 11ma *Objectio spectat contradictiones notatas in Libro Doctissimi Domini* Hazenohrl: *Responsio demonstrat, aut imaginarias has objectiones esse, aut malevolas. Objectio* 12ma *De usu candelæ ad detegenda miliaria, & responsio. Objectio* 13ma *supponit me perperam* Hoffmannum, Fuchsium, Trumphium, *in meas partes laudasse; respondetur laudari in meam sententiam debuisse, eo quo laudavi sensu, non vero in eo sensu, quo Adversarii velint, & qui meus non fuerit.*

§. III. *Epilogus hujus capitis necessaria.*

EX quo Medicinam, idque *Viennæ* potissimum, feci, per Observationes, quas in Nosocomio meo, & apud Ægros in Urbe atque Suburbiis in consilium vocatus, plurimas habui, du-

dudum didici duo hæc: 1mo Clarissimum meum in Cathedra Viennensi Antecessorem, & Augustissimæ Imperatricis ELEONORÆ Archiatrum, *Paulum de Sorbait*, ante 100. fere abhinc annos, verissime *de Petechiis*, extra Pestim contingentibus, scripsisse *Univ. Med. pag.* 541. quod essent motus *noxius* ac *symptomaticus*; & pag. 545. *Expulsio symptomatica*, cujus tam parum noxia esset retardatio, ut extantibus iisdem venæ sectio tuto institueretur. 2do Incomparabilem *Sydenhamum* 80. abhinc elapsis annis in *Schedula monitoria* justissime non modo similia de Petechiis, de Maculis purpureis, & de Miliaribus, testatum esse, verum etiam raro a natura, sæpius mala arte extorqueri, luxisse.

Hinc elapsis propemodum quatuor annis in Dedicatione Thesium de Div. Febr. ad Auditores meos hæc dixi:

„ Dan-

„ Dantur Exanthemata Petechialia, &
„ Miliaria *Critica*; dantur mere *Sym-*
„ *ptomatica*; dantur denique *Acciden-*
„ *tia*, aut *Accidentalia*, ut vocant, pra-
„ va arte producta. Pestilentiosis
„ temporibus Critica frequenter, fre-
„ quentius Symptomatica, describun-
„ tur Autoribus: tempore autem mi-
„ nime pestifero, Exanthemata hæc
„ tum Critica, tum Symptomatica,
„ rariora sunt, Accidentia vero, fa-
„ tali scilicet arte genita, frequen-
„ tissima.

Post editum hunc librum, magis convictus fui, magisque, de tanta utriusque Exanthematis, veluti critici, raritate; ita ut vix critica dari, sponteque generatorum Exanthematum pleraque, ac fere omnia symptomatica esse; cæterum symptomaticorum in *Germania* numerosissimorum pleraque esse factitia, audacter statuam.

Hinc

Hinc in omnibus fere quæ edidi opuſculis medicis, hanc veritatem propoſui, ſtatuminavi, unguibus defendi roſtriſque: ut demum omnes, qui Medicinæ addiſcendæ cauſa ad inclytam hanc Univerſitatem confluunt, dictis convicti factiſque, ad extinguendum hoc peſſimum, ac ſæpe letale ſymptoma, animum admoveant, dum ipſi per ſeſe praxin exercebunt.

Sed altiores egit radices patrius error, quam ut exantlatis hucusque laboribus evellatur animo. Id me docent ipſi Medicinæ Tirones, quos converſatio cum Vetuſtioribus Medicis, quos male relata exempla, quos horror omnis ejus quod novum dicitur, licet ſit præjudicata opinione antiquius, ita præoccupavit, ut ſylvam objectionum collectam mihi ſæpe objiciant, ad quas toties reſponſa ipſis dedi, quibus videbantur convicti

re-

recedere; haud ita tamen, quin convictionis obliti, sæpius ad me redirent, crambem recoquentes antiquam.

Cum porro salus publica suprema Lex sit, & cum Nosocomii nostri Diariorum collectiones, quas opuscula *de Rat. Med.* referre solent, in usum Studiosorum præcipue evulgentur; operæ pretium erit, in hoc octavo ejusdem operis Tomo, easdem tum amplius evulgare, tum elucidatius exponere, ut demum omnis de illorum animis auferatur hæsitatio. Quo autem utilius atque efficacius id exequi possim, putavi nihil ad id accommodatius fore, quam recensionem earundem objectionum, quas mihi contra meam sententiam opposuerunt, & ad quas responsa, quæ dudum dederam, nondum rite intellexisse eosdem deprehendo. Nosocomii obser-

vata

vata ſimul ad objectiones easdem dirigam, & applicabo.

I. Objiciunt mihi ſæpe problema, quod Ill. Med. Præſes L. B. *van Zwieten*, capite *de Aphthis*, Medicis propoſuit illis, quibus occaſio rem propius examinandi, quam ſibi, ut Archiatrorum Comiti, liceret, frequentiſſima adeſſet; *utrum ſcilicet Miliarem morbum inter, & Aphthas, tanta intercederet affinitas, ut quod apud Belgas Aphthæ, id Miliaria apud Germanos eſſent*; unde concludunt *non poſſe Miliaria dici factitia, quia factitiæ non ſunt Aphthæ.*

Quidquid ex problemate concluditur, æque problematicum manet, quam problema ipſum. Verum demus non eſſe problema, ſed demonſtrationem; quid inde? Profecto Miliarium in *Germania* ruinam neceſſario præfatur.

Bel-

Belga natus, & ſpatio 19. annorum luculenta ibidem praxi exercitatus, certi quidquam & novi de Aphthis proferre potui; utpote qui pluribus annis poſterior magni *Boerhaavii* in Coll. Pract. Auditor fuerim, quam Ill. Præſes; & qui integris novem annis poſt Ill^mi Viri abitum praxim ibidem exercuerim.

Aphtharum nomine quid intelligatur proprie, ex Definitione *Boerhaavii*, & Commentario Ill. Præſidis cuique notum eſt. Antiquitus videmus eo nomine potiſſimum intelligi puerorum morbum, & etiam exedentia Adultorum ulcera, quæ cancri aquatici, vel ulceris Nomæ nomine, nunc deſcribimus; minime vero aliquod ſymptoma, vel evacuationem criticam, quæ in acutis creberrima conſpiceretur, ut quidem poſtea. *Foreſtus* in *Belgio* potiſſimum ſic de Aphthis

this agit, ut dixi: addit vero Libr. 14. in Scholio ad Obſ. 22.: „ Aſt
„ Aphthæ quæ in febribus & in mor-
„ bis acutis, & in Peſtilentia, & quæ
„ frequentius in periculoſis febribus
„ apparent, ex flagrantibus exhala-
„ tionibus etiam in peripneumonicis,
„ ut ſæpe vidimus, raro non diro
„ augurio ſpectantur. „ *Sennertus* in Germania prax. Lib. 2. Part. 1. cap. 18. ut infantum morbum deſcribit; ſin vero adultos occupat, ad malignitatem morborum acutorum refert.

Ex quo vero Regimen & Medicamenta calida *Belgis* per integrum fere ſæculum acceptiſſima fuere, Aphtharum frequentia tanta ibidem fuit, ut gauderent Medici & ægri acutum morbum quandoque ſine Aphthis curari. Luxerat quidem diu infamem ob illas Patriam ſuam *Boerhaavius*; verum

triennio ante ſua fata vidi, audivique, venerabilem Senem gloriantem, & exſultantem, quod indies Aphtharum crebritas minueretur, ſpemque ſui interitus daret, ex quo Hippocraticæ Methodo, multitudine ſuorum diſcipulorum ſenſim inductæ, inciperet, pergeretque cedere error antiquus.

Hoc adeo verum, ut ipſe ego, ultimis Batavæ meæ praxeos annis, celebresque mecum in Patria Practici, teſtarentur, vix bis ter in anno Aphthas ſe in Adultorum acutis cernere morbis; læti ob id inprimis, quod inciperemus hoc modo carere ejusmodi in Acutis ſymptomate, quod criticæ evacuationis honeſta appellatione vix eſſet recenſendum. Equidem *Boerhaave* Inſtit. §. 938., & Aphoriſm. cap. *de Aphthis*, ad criſin eas retulerat; ſed ad qualem? Ad difficilem, laborioſam, periculo plenam, ac ſæ-

pe

pe letalem; raro ſcilicet ortam a natura febris, ſed, Aph. 991. probl. 3. *maxime ſi medicamenta, victus, regimen, calefacientia (aut adſtringentia) initio hujus morbi data.* Agnovit eas absque calefacientibus naſci, ſed ſimul ab iisdem naſci *maxime* aſſeverat. Ergo agnovit quoque aphthas *factitias.* Hinc minime in Collegiis mirabamur, quod magnus ille Vir, *Sydenhamum* imitatus, nobis tam ſerio inculcaret, ut in initio ejusmodi febris, quæ adjunctam Diarrhœam & Dyſenteriam haberet, & in quarum fine alioqui eſſent adparituræ Aphthæ, purgans daremus, *quo ejusmodi Aphthas præcaveremus.* ibid. probl. 4. Si autem juſſit nos Aphthas, ne naſcerentur, præcavere, agnovit Aphthas negligentia medici factitias; Aphthas, inquam, quæ in fine morbi haud affuiſſent, ſi Medici in morbi principio ſuas partes

explevissent. Eodem prorsus modo hic *Boerhaave* egit, quo ante 100. fere annos *Sydenhamus* agebat, dum Bubones, Parotides, Antraces, periculosas sæpe febris pestilentialis crises, tam salutariter sudore 24. horarum, ac purgante, præcaveret, ut omnes inde feliciter emergerent; interea dum aliorum plurimi, quibus hæc Medici non precavissent, desiderarentur. Vid. de Febr. pestil. & peste ann. 1665. 1666. Eodem denique modo, *Sydenhamii* ac *Boerhaavii* sapiens exemplis, *Cl. Allionius*, Miliaria, in febre ad illa disposita, ne erumperent, præcaveri docuit, bina ternaque Venæ sectione, totidemque purgantibus; quam methodum ut saluberrimam toties expertus, vehementer laudat.

Itaque quo magis urgent Adversarii problema hocce, eo magis statuminant, & roborant, sententiam nostram.

II. Si

II. *Si Regimen, & calida Medicamenta, miliaribus producendis apta nata forent, utique ad 16. sæculi initium, quo Sylviana Methodus florere incepit, necesse est tunc illa adparuisse, & ex eo tempore ubique, siquidem calida Methodus exinde universalis fuit.*

Transeundo errorem in Epocha sylviana commissum, siquidem initium 16ti sæculi, imo vix illud 17mi nec dum *Sylvii* videre natales, Virique opera prima ante 1664. lucem non viderunt; dicam calidam methodum dudum ante Epocham illam in Germania viguisse. Sed his transmissis argumentum argumento opponam, quo ejusdem imbecillitas patescat. Si congressus Venereus posset Luem veneream, ac Gonorrhœam, creare, hanc & illam creasset jam ante numerosa sæcula, siquidem semper obtinuit ejusmodi congressus. Atqui an-

te finem ſæculi 15. nullibi europæorum locorum morbus hic notus fuit. Ergo eundem producere congreſſus venereus non potuit. Eſt quidem ridiculum argumentum; ſed quo objectionis ridiculitatem demonſtret, neceſſarium. Utriusque autem facti, argumento utroque contenti, rationem rogatus, fateor reſponſi nihil me invenire, quam, quemadmodum finiente ſæculo 15. morbi venerei, ab impuro congreſſu contracti, primò in Regno Neapolitano apparuere, & deinde reliquos ordine Europæos invaſere, prout infectorum commercio ſuccedente ordine utebantur; a qua tamen cauſa, licet antea millioneſies & millioneſies poſita, Lues Venerea nunquam orta eſſet; ſic poſt elapſi ſæculi principium (eam enim Epocham figere Riveriana ſuadent,) nata Miliaria eſſe ex regimine calido, a calidis

lidis Medicamentis, ab aëre aut non, aut non ſufficienter, renovato, ab eodem multorum hominum exhalationibus inquinato, ab interna corruptione humorum, illi ſimili, quam calida dicta generent, & forte ab aliis nonnullis cauſis; a quibus tamen cauſis nunquam antea generata eſſent. Mera obſervatio eſt, cujus cauſam neque in Purpura, neque in Lue Venerea, ingenio aſſequimur, naturæ utriusque corruptionis ignari.

III. *Frequentiſſima ſunt Miliaria Viennæ, & in omnibus Noſocomiis, & in privatis ædibus, etiam quandoque reperiunda in meo Noſocomio. Atqui Viennenſes Medici calida methodo tam parum utuntur, ut qui eosdem de illa accuſaverit, videatur de Lana Caprina diſputaſſe, neque ego certe calidis utor in Noſocomio. Ergo non eſt verum, quod ea calida Methodus pariat.*

Reſervando mihi reſponſum ad ea, quæ de *omnibus Noſocomiis* objiciuntur, admitto Majorem, & ad Minorem, ſalvo ſemper honore plurium Vienneniſium Medicorum, qui egregiam Methodum curandi adhibere ſolent, morboſque acutos, in quibus exanthema prodit, ſic curant, quaſi illud non adeſſet, id quod mihi teſtati ſunt ſæpius; reſpondeo 1mo formulas multorum Medicorum adeptum; certo me noſſe, & in Noſocomiis, & in Urbe, Suburbiisque, plurimos reperiri Medicos, qui calidis Alexipharmacis, copioſo præprimis Croco, ipſo Acutorum principio, perque univerſum eorundem decurſum, utantur, & hanc ſuam methodum publice laudare non vereantur, ut virus, quemadmodum *Hoffmannus* Medicis pravis exprobrabat, de corde pellant. Extant innumeræ formulæ Hofmannianæ di-

dictæ misturæ cum bona Croci dosi; formulæ Linctuum pro tussi catarrhali, quibus suspicione aut latentis, aut saltem futuræ exanthematis, Crocus est admistus. Præsens in consultatione vidi celebrem Medicum, animadverso, ut postea patuit, culicum morsu, cardiaca calida ad exanthema, ut ajebat, foras ejiciendum, jam dedisse: methodo tamen a me, binisque aliis Collegis, in rationabilem mutata, æger absque vel minimo exanthemate brevi integreque convaluit. Advocatus ad Consultationes, aërem nedum ægris, verum nec sanis, calore tolerabilem, sæpius deprehendo. Quin & animis adeo alte insitum calidi aëris præjudicium offendi, ut hora consultationis is, ne conquererer, moderaretur, moxque, abeunte me, incenderetur; quam fraudem, aliquando maturior inter-

pellans, detexi. Plures etiam boni Medici apud me conquesti sunt, quod, quantacumque diligentia aëris commendarent, curarentque temperaturam, tamen Vulgus æque nobile, quam ignobile, calidum perpetuo aëra, se abeuntibus, concilient ægris. An ergo falsum non est, quod, qui de hisce conqueratur, de lana cavillet caprina? An miremur, quod exanthemate infamem se Regia *Viennæ* lugeat?

Resp. 2do ut prava arte Miliaria, alioqui defutura produci, sæpe conquestus sum, ita luce clarius evici aliis occasionibus, haud sic calida medicamenta requiri, ac si, citra illa, Petechia aut Purpura gigneretur nunquam. Equidem etiam sine Medicamentis calidis aptum aëra esse, qui illa producat, calidiorem: adeoque a Medicis, temperatam Medelam

dan-

dantibus, Miliaria millies creari, dum aut ſtudio imperent, aut conniventia tolerent, acute laborantes calido in aëre foveri perpetuo. Demonſtravi pluries quoque Purpuram eorum ſub cura produci, qui calidi remedii, calidique aëris oſores, vano interim metu ægros lecto ſæpius eximere, eorundemque propriis inquinamentis in lecto fœdatam athmospheram ſufficienter mutare, ac luſtrare, religioni habeant. Generari forſitan eadem facilius dum in ægris, lecto vix mutatis, venæ ſectiones fuerint omiſſæ; ſive præ defectu neceſſariæ diſtinctionis veram inter imaginariamque debilitatem, ſive præ generaliore, quam par eſt, perſuaſione inſequuturi cujusquam nocumenti, ſi ægris Acutorum principio vena ſecetur, quando aut impetus humorum vehemens non ſit, aut cutaneæ ſperen-

rentur, expectenturve, eruptiones. Præterea docuit experientia toties, absque calidis remediis, abs calido aëre, Miliaria & Petechias produci, quando plures ægri, eodem in loco collocati, athmosphæra mutua, aut non mutata, aut ſaltem haud ſufficienter, ut in Bellis toties viſum, veſci cogantur. Quin etiam omnibus ſic a Medico directis, ut nullatenus exanthema gigni debeat, gigni nihilominus idem, dum qui jam prius iſtud vel in miasmate alibi concepiſſent, vel aliis explicitis de cauſis ſibi comparaſſent, curandi ſuſciperentur. Tandem ſpontaneam acutis in ægris humorum corruptionem, ſpontanea exanthemata, penitus tamen ſymptomatica, & perniciosa, generare nonnunquam.

Cum ergo tot exiſtant cauſæ, a quarum vel unica hæc exanthemata

ci-

citra naturæ operam produci queant, nonne iniqua prorſum argumentatione concludere velint, exanthema ideo datis de cauſis non gigni, ſi earum vel unica deſit ? Eodem plane modo concluderet quis Febrim ardentem gigni poſſe nunquam. Optimus *Boerhaave* Aphor. 740. „ Cauſa, inquit, (febris ardentis) labor nimius, iter longum, æſtus ſolis, ſitis diu tolerata, uſus calefacientium, fermentatorum, aromaticorum, acrium, veneris nimiæ, delaſſatio immodica, maxime æſtate, &c. „ Sex igitur ſeptemve varias, ſeorſimque ſubſiſtentes, febris ardentis cauſas enumerante *Boerhaavio*, licebitne negare hujus febris præſentiam, eoquod ad eandem præſentem ſiſtendam ex his ſeptem defuerit una, duæ, tres ? Ut febris ardens non gigneretur, deeſſe oportuiſ-

tuiſſet cauſſas omnes: data autem earum vel unica, generari potuit.

Sic unà reſponſum habetur ad objectionem, petitam a viſo quoque Exanthemate in noſocomio noſtro. Nunquid ideo apud nos, citra bonæ naturæ operam comparere haud potis eſt, non porrectis licet medicamentis calidis? Ordine adplicentur exanthematum recenſitæ cauſæ omnes ad ægros, qui eadem apud nos acquiſiverint, & capiet facile quisque, quod aut a degeneribus prorſum humoribus, aut proprio neglectu, aut ſuſcepto antea contagio, ſubinde debuerint naſci.

Dedi in variis *Rat. Med.* Tomis catalogum horum, & omnium, qui unquam exanthematibus apud nos laborarunt; ex quibus antequam demonſtrationem formem, recentiora nonnulla prius enarrabo. Anno 1762.

fe-

feminam cum Miliaribus in noſtro Noſocomio acquiſitis ægram habui, idque hunc in modum: Per decem dies acutæ febris labore agitata femina, demum ad nos confertur. Die 15., non critico, Miliaria prodeunt notabili cum incremento morbi. Die 19. non critico, abundantior purpura. Die 21. non critico, poſt ingentem horrorem calor, ſudor, copioſiora Miliaria; quæ & pauciora ante, & copioſiora poſt, Auditoribus demonſtravi; eaque demum ſic, ut die 24. moriente ægra, tum eſſent copioſiſſima, tum aliquantiſper a morte, adhuc bene proſtarent.

Anno currente, ad 8. Aug. juvenculam ſuſcepimus, quæ cum continua febre ædibus expulſa, ad feminam pauperrimam ſibi notam ſe contulerat, ibidemque citra ullum auxilium ad medium tertium diem jacuerat.

rat. Inde in quoddam Nosocomium, in quo Exanthematicorum legio, delata, sex horis citra auxilium, tantummodo plurimum tecta, ac probe sudans, mansit; inde ad nos sella portatili bene clausa conducta est, maculis petechialibus hinc inde jam conspicuis, pectore anxia & tussiculosa. Die 4. & 5. morbi alvus cocta biliosa, naturalis urina, sudor levis, febris pauca. Ad meridiem diei quinti febris admodum magna, valido cum sinistri lateris ventrisque dolore. Post factam sanguinis missionem obdormivit, ac sudore toto pomeridiano tempore diffluxit, maculis petechialibus inde non promotis, sed ita sensim obscurantibus sese, ut ad 9. morbi diem ulla vix relinquerentur vestigia. Quod autem notandum, post Venæ sectionem die morbi 5. factam, Crisis facta videbatur sudori-

bus

bus & alvo, ita quidem, ut bona indies perſeverante alvo, cum urina exiſtente paſſim naturali, ſemelque hypoſtatica, ad 10. diem inchoantem nullam prorſus febrem ultra deprehenderemus.

At vero 16. die menſis, Morbi die 12., non critica, notavimus alba quædam, eademque parva admodum Miliaria in pectore, at ita inconſtantia, ut nunc conſpicua, hora vix elapſa, evanida, pauloque poſt iterum viſibilia eſſent. Idem morbi 13. die; perſeverante interim, quæ ante Miliaria affuerat, ſanitate. Die morbi 14. & 15. bene conſpicua, ſed minutiſſima. Die 16. 17. 18. 19. 20. mane quidem pauca, poſt meridiem vero plura. Die 21. mane plura, poſt meridiem pauciora. Die 22. vix viſibilia. 23. nulla. Cum puella hæc poſt Criſin ſana vixiſſet,

ita ut quovis die ambulans, & ſedens extra lectum, nec ante eruptionem, nec ſub, nec poſt illam, vel minimum ægrotaſſet, Templum 1. Sept. adivit, ſilentio ſupprimens levem ventris dolorem. E templo redux, vomuit, quæ comederat, fere tam integra, quam in menſa fuerant. Levem inde experta febrim, ſudavit nocte multum, & ſana ſurrexit, manſitque.

Dedi jam Cap. I. hujus Tomi hiſtoriam feminæ, quæ ſub idem tempus, ad diem ſui morbi 5. purpureis maculis extantibus, ad nos allata fuerat; ſeptimoque die judicari viſa, ingens poſthac negotium nobis faceſſerat; & Cap. 2. aliûs, quæ a triduo Petechiis tincta, ad 7. diem ad nos conducta, & ad 11. mortua eſt.

Ex cunctorum recenſione decem homines, ſpatio decem fere annorum

nu-

numeramus, qui alterutrum Exanthema, aut utrumque, in noſtro Noſocomio acquiſiverunt. Horum porro decem, tres in Noſocomiis, exanthemate infectis, aliquantiſper decubuerant; unus negligentia petechias ſibi comparavit. Quinta ad peripneumoniam neglectam, extra ædes noſtras, habuit Scarlatinam ac Miliaria, in Noſocomio vero variolas & petechias, a degeneratione humorum ſubtiliſſimorum ſumma. Sexta ex morbo maxime maligno, cum mictu cruento, fere deſperato, petechias contraxit. In Reliquis, morbus acutus per 4. 6. 8. 10. dies neglectus, jam motu, calore, labore, ſudore, in multos loci verſus errores, malignitatem jam contraxerat.

Cum exanthematibus jam conſpicuis quatuordecim ad nos allati ſunt ex Noſocomiis aliis, privatisve ædibus.

Igitur ſpatio decem fere annorum 24. homines exanthematici in Noſocomio noſtro fuere: Octo ſcilicet exanthemate petechiali, quos inter cum variolis una; undecim ſolo miliari: quinque utroque, eosque inter una cum peſſimis variolis, affecti.

Horum quatuor diem eruptionis reliquere incertum; novem quidem die aliquo critico habuere eruptionem, novem vero die non critico, duo in reſtituta poſt morbum ſanitate: verum in horum nemine criticæ evacuationis notam ſuſtinuerunt: aut enim in morborum acutorum incremento prodiere; aut ſi in ſtatu, decrementove, cum ſymptomatibus pravis; ita ut inde perierint nonnulli, copioſo licet exanthemate tecti, pluresque ſive Cortice Peruviano, ſive Criticis evacuationibus aliis, ſive utrisque, ſervati fuerint: aut judica-

to,

to, curatoque jam morbo, ſuperve-nere Miliaria, absque ullo præeunte, concomitante, ſubſequente, Sympto-mate.

Hisce igitur mature conſideratis, capient facile Studioſi noſtri cur mor-bus hic a natura raro, ab arte vel caſu ut plurimum genitus, etiam no-ſtro in Noſocomio compareat? com-pareat autem adeo rariſſimus, ut utro-que exanthemate ſimul ſumpto, vix quinquies inibi biennali advertatur ſpatio? &, ſi numeremus eos modo, qui illud in Noſocomio acquiſiverint, unicus modo ſingulo detur anno? Præ-terquam quod in hac enumeratione liberalem juniorum quorundam Me-dicorum in numerando modum de in-duſtria imitati ſimus, ne quid cavil-lent; haud vero, ut eandem appro-bemus. Si enim pauculas illas ma-culas rubras, vel purpureas, quas

Sydenham paſſim, quas *Boerhaave* pluribus in locis, a petechiis diſtinguendo ad peſſimam humorum corruptionem referunt; ſi præterea quasvis puſtulas miliaceas, ſudore genitas, quas Patres Græci ἵδρωα vocarunt, Latini *ſudamina, papulas ſudorum*, quales ut ſano in æſtivis ſudoribus, ſic ſudantibus ægrotis ſæpe obveniunt; ſi, inquam, hæc omnia ad Petechias, & Miliaria relegemus, tunc ab Orbe condito, per univerſas mundi plagas, petechiæ & Miliaria ſunt ἐνδημικώτατα. Hoc autem negatur ab omnibus. Quam incongrue ergo miliaciis illis ſudaminibus, in ſudore critico nonnunquam prodeuntibus, criſin morbi clamitent per Miliaria fieri! ſed *nova* data occaſione, de hiſce latius: Dives enim diſſerendi Seges mihi adeſt. Capient quoque quantopere præter veritatem mihi objecerint, quod Miliaria ſoleant,

etiam

etiam fatentibus nobis , & diebus prodire criticis, & morbi afferre , omniumque ſymptomatum, inſigne levamen. Contrarium prorſus ex allatis vident exemplis. Si præterea videant, quæ in hoc ipſum notarint Viri, eruditione aut praxi aut utroque clari, *Pourchon* , *Trumphius* , *Fuchſius*, *Kleinius*, *Hazenöhrl* , *Lautter* , erunt de iis, quæ profero, convicti. Et qui multitudine obſervationum cæteros antecellit *Cl. Allionius* , qui ipſus ex profeſſo de Miliaribus, tanquam naturaliter genitis, diſſeruerat , nonne diſertis ſcripſit verbis hæc: „ Tertio „ aut quarto die, (ambobus criticis) „ exeunt puſtulæ , ſeptimo , & octavo, „ plerumque letales : minus funeſtæ, „ quas dies ſexta (Criticorum infidiſ„ ſima) affert. Et per manipulos „ & cohortes, incerta die ac hora, „ fit hujus exanthematis expulſio.

Jurene ergo, an injuria, Discipuli mei ex pag. 70. *Thes. de febr. Divis.* colligant Criticum me pronuntiasse miliare exanthema? Conqueror pluries objectiones, quas refutandas susceperam, aut jam refutaveram, nihilominus tamen veluti meam propriam sententiam laudari; pari, ni fallor, injustitia, qua quis *Sydenhamum*, toties calidam methodum refutandam assumentem, veluti calidæ Methodi celebraret Patronum: aut qua quis assereret *Davidem* Regem in Psalmis 13. & 52. Dei negare existentiam, quando Impiorum sententiam oppugnaturus, referret quid ipsi in corde suo dicerent.

IV. *Crisin Miliaria referunt*, inquiunt mihi Studiosorum nonnulli, *regulariter procedendo, certamque efflorescentiæ, exsiccationis, ac desquammationis servando periodum.*

Sat

Sat ſuperque reſponſum, quod ad tertiam Objectionem dedi, hanc quartam diluit, ut inſalutatam hanc præterire poſſim. Verum cum Diſcipulis meis nihil non debeo, dabo illis & aliquam hujus objectionis refutationem peculiariorem. Neſcire me fateor quid in mentem venerit ipſis, quod allatis de cauſis Miliaria critica vocent? *Hippocrates* ſaltem tale quid, propter has cauſas, Criticum non vocaſſet. Graſſabatur populariter *Perinthi*, Epid. 2. pag. 1020. Febris ardens, quæ ut plurimum die 14. judicabatur ſudoribus, at vero in ipſa æſtate ſudores jam a principio comites habebat; prætereaque die 7. (critico) die 8. (non critico) die 9. (critico.) „Τρηχύσματα ἐν τῷ χρῶτι „ κεγχρώδεα, τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινο- „ μένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, οὐ „ πανὺ κνεσμώδεα. Aſpredines in cu-

„ te miliaceæ, culicum morſibus maxime ſimiles, oboriebantur, haud „ multum tamen prurientes. Ταῦτα „ διετέλει μεχρὶ κρίσεος, hæc ad usque criſin perſeverabant. „ Ergo erat ſymptoma peculiare in hac febre ardente, quod & diebus criticis, & non criticis efflorefcens, perdurans diu, & periodum diſparendi ſervans, morbum nedum judicabat, verum ad morbi criſin, nempe ſudorem, diſparebat. Ergo Exanthemata regulariter procedentia, certamque efflorefcentiæ, exſiccationis, deſquamationis, periodum obſervantia, nec *Hipp.* nec ulli in hunc *Hipp.* locum commentatores, ad criſeos naturam & genium ea de cauſa retulere.

Plura ſane hoc in textu nos *Hippocrates* docet. Ac primo quidem, ut jam dictum, regulas creſcendi evaneſcendique ſervantem efflorefcentiam,

tiam, minime tanquam criticam, ſed tanquam mere ſymptomaticam, conſideravit. Secundo Criſin neutiquam huic tribuit, aſt ſudoribus diei 14. Tertio, in hac ardente febre, quæ tam benigna, ut ipſe teſtetur illam nihil habuiſſe maligni; & ut, licet ab initio ſudores perperam adeſſent, tamen pauci inde morerentur; in hac, inquam, febre, adeo benigna, agnovit excretiones dari ſymptomaticas; contra illorum ſententiam, qui ideo negent ſymptomatica poſſe Miliaria haberi, quod ſæpe in benignis acutis contingant, in quibus illi credunt tantam humorum non dari degenerationem. Et morbum benignum ſalutavit *Hippocrates*, & in benigno morbo Exanthemata deſcripſit ſymptomatica.

Dum igitur accuſamur quod Criſin acutæ febris non Miliaribus, ſed

aliis,

aliis, aut ſimul, aut poſtmodum contingentibus evacuationibus adſcribimus, autore id facimus *Hippocrate*. Ut enim ille agebat in deſcripto exanthemate, ita nos Symptomaticam Petechiam ac Purpuram habemus, eo quod utraque die erumpat & critico, & non critico; quod eruptio in die critico pejus ſæpe demonſtretur, quam in non critico; quod cum eruptione, poſtque eandem, morbus ſæpe ingraveſcat, morbique ſymptomata; quodque, etiamſi morbus in melius vertatur, tamen ea in meliorem converſio minime exanthemati ſymptomatico, ſed aliis criticis perturbationibus & evacuationibus potius adſcribunda ſit, quæ morboſam eliminantes materiem, ſimul illud ſymptomaticum crudumque exanthema, quod ſecundum *Allionium* pag. 44. coctionem non patitur, pellant foras.

V. At-

V. Attamen inſtant: *Symptomatica dici hæc exanthemata nequeunt, eo quod Symptomatica, ſi modum excedant, ſupprimere, minuere ſaltem, liceat, oporteatque: nunquam vero Miliaria; ni mortem velis, pejorave morte creare Symptomata.*

Profecto ut Symptomaticos in acutis ſudores, ut *Sydenham* Collegæ ſui Petechias, ita *Allionius*, nosque cum ipſo, ægrorum e lecto exemtione, Venæ Sectione, Enematibus, Cortice peruviano, Symptomaticos hosce motus moderamur cum bonis ægri rebus, totosque auferimus. Ergo ſunt Symptomatica exanthemata.

VI. Comparant Medicinæ Tirones *Miliaria ac Petechias cum Variolis & Morbillis, naturali ortu, progreſſu, effectu; id me perperam negaſſe arbitrati, quando ſcripſi Variolas & Morbillos non ſupervenire Miliaribus ac Petechiis, ſic*

ut

ut penitus prodeant, crescantque, quemadmodum quidem hæc illis; contrarium nempe ex Camerario, & Albrechto, N. C. Sodalibus, demonstrari.

Cum Tironibus multæ ineptiæ condonandæ sint, & ad has respondebo. Primo ex quinque rationibus, ob quas hanc comparationem, Libr. de Febr. Divis., negaveram, quatuor suppressere, ac, veluti illas quatuor non adduxissem, unicam quintam arripuerunt. Attamen arripiundæ erant omnes quinque, ut stringeret causa negati. Secundo etiam hanc, quam memorantur unicam, mutilarunt. In Febr. Div. pag. 70. sic scripseram: „ Variolæ & Morbilli non superveniunt Miliaribus & Petechiis, sic „ ut penitus prodeant, & crescant, „ sicut quidem hæ illis, sed tantum „ eo, quo pag. 32. dictum est, modo. „ Porro pag. illa 32. dixeram:

ram: „ Miliaribus enim, aut Vario-
„ lis, aut Morbillis, aut Scarlatinis,
„ Petechiæ ſuperveniunt; & vice
„ verſa Variolæ, Morbilli, Miliares,
„ ad Petechias accedunt, vix elevan-
„ tes ſe, mortemque denunciantes
„ propinquam. „ Communem ob-
ſervationem ſic me expoſuiſſe credi-
derim. Rogo enim Practicos quos-
vis, num eandem utrimque conſuetu-
dinem obſervent ſic, ut eo modo Va-
riolæ Miliaribus & Petechiis ſuperve-
niant, quemadmodum hæ ambæ il-
lis? Num, quo in loco Miliares & Pe-
techiæ frequentiſſimæ ſunt, ſic in il-
lis Medici expectant Variolas & Mor-
billos, quemadmodum in Variolis ac
Morbillis, Petechias aut Miliares? Si
igitur nudo, quo ſcripſi, ſenſu ver-
ba mea intelligantur, eam referre
ſententiam cenſeo, quam tenent me-
cum Medici omnes. Verumtamen

exem-

exempla proſtant Variolarum Petechiis ac Miliaribus ſupervenientium. Admitto utique illa; utpote qui ſimile elapſo jam ſexennio protulerim. Sed num rariores exceptiones ſubvertant communes naturæ leges? Tunc nullas leges Medicina haberet, nullas Phyſica tota, nullas alia quælibet Ars; ſemper enim aliquid eſt, quod extra easdem divaget.

VII. *Sed ipſemet ego*, pergunt, *in Febr. Div. pag. 39. Miliarem morbum velut idiopathicum, & graviſſimum quidem, deſcripſi, cujus illa eſſet proprietas, ut morboſam materiem ad corporis deferret ſuperficiem.*

Nunquid, qui ſic fantur, mea volverunt attente? Videant ergo revolvendo me morbum nunquam idiopathicum vocaſſe, ſed deſcripſiſſe talem, qualem Natura rariſſime, cauſæ aliæ numeroſæ paſſim, generent. Minus-

ne

ne factitia Lues Venerea est, quod Autores Syphilici eam describant tanquam morbum gravissimum, cujus illa proprietas sit, ut solida æque quam fluida corrumpat? An inde sequitur Luem Veneream morbum esse, in quem unusquisque ex communibus vulgarium morborum causis incidere queat?

VIII. Ajunt mihi Medicinæ Tirones se Medicos, veteris opinionis tenaces, advertere *acriter invectos, & quotidie invehi, in methodum, quam in Exanthematicis tractandis observem: ægre illos ferre me Venam secare, me ægros lecto eximere quotidie, &, si ferant, per aliquot horas in sedili collocare erectos: me Vesicantia admovere, quæ longe acrius solida fluidaque humani corporis agitent, stimulentque, quam, de quibus conquerar, calida stimulantia: interea Medicos se frequentare, quibus*

quotannis innumeri exanthematici curandi committantur, qui tamen in Febre ſimpliciter Miliari Venam non tundant, qui Ethmulleri conſilio ægros hosce compluribus diebus lecto haud eximant, qui Veſicantia nunquam, niſi efflоreſcentia retrocedente, ac debilitato vehementer inde ægro, admoveant.

Medicinæ Tirones, qui his viſis auditisque in data ipſis doctrina vacillant, manifeſte docent ſe nec ad ea, quæ apud alios viderint, nec ad illa quæ in Noſocomio noſtro ſibi demonſtrata ſint, accurate ſatis attendiſſe; nec ſufficienter ſe utriusque methodi conſequentias & effectus ponderaſſe.

Profecto in initiis Acutorum Venam ſecantem non viderunt me unquam, quando vires vera debilitate proſternebantur, neque in Schola Medica didicerunt. At vero obſervare potuerunt in Natione Germanica, quæ

flu-

fluxui hæmorrhoidum ſive naturali ſive factitio, quæ frequenti admodum Venæ ſectioni, plus juſto aſſueta eſt, quæ vorax præterea, vinoque indulgens ac cereviſiæ eſt, Venæ ſectionem in Acutorum principio, ſi nihil vetat, egregie conducere: neglectu V. S. ex benignis malignos, eosdemque Exanthematicos morbos, eſſe exortos; ſic quidem ut notare potuerint ægros, neglectu jam Exanthematicos, inſtituta ac repetita ſanguinis non diſſoluti, ſed vere pleuritici, miſſione, e mortis ereptos fuiſſe faucibus. Obliti penitus videntur confirmatæ toties apud nos obſervationis *Sydenhamianæ*, de ea apparente debilitate in Febribus, cujus Cardiacum Venæ ſectio eſſet. Ut dubio procul inter cauſas frequentioris alibi Exanthematis Miſſio ſanguinis, Acutorum principio neglecta, recenſenda veniat.

Deinde causam, cur rarius apud nos Exanthema, evidentem semper habui, & indefessus docui, esse quotidianam Lecti refectionem: intra quod tempus ægri debiliores alium in lectum transferuntur; qui minus debiles per horæ quadrantem, horam, horasve complures, &, si ferunt, bis die, in majore ac commodiore Sedili collocantur. Hinc toties videre mecum Auditores plures ægros, quibus omnia Symptomata, futuri Exanthematis præsaga, adessent, febrim duntaxat acutam, minime Exanthematicam, sed sæpe benignam, esse perpessos. Viderunt mecum alios, erumpente exanthemate ad nos allatos, tolerabiliter valde morbum hac methodo tulisse, nec quenquam quid detrimenti inde unquam passum esse. Ita ut longe alia & penitus contraria a nostra metho-

do

do obſervaverimus, quam apud alios divulgetur.

Nec inſolita hæc noſtra ratio, nec nova eſt. Summorum in Medicina Virorum eſt celebratiſſima. Docuerat nos eandem dictis factisque immortalis *Sydenhamus.* Tempore febris contagioſæ varioloſæ adeo abhorrebat ab ægris ſuis lecto addicendis, *ut ejusdem addictionis effectus compararet cum intempeſtiva Cardiacorum eodem in ſtadio exhibitione.* Sufficiebat ipſi, nec, ubi rerum arbiter erat, unquam aliter conceſſit, ut ægri cubiculi ambitu ſe continerent, *a lectulo, æque quam a Cardiacis, abſtinentes:* quarto vero die lecto adjudicabat: porro ſi benignæ ac diſcretæ eſſent Variolæ, & calida tempeſtas, *quotidie per aliquot horas lecto exemtos detineri curabat.* Quo demum effectum, ut feliciter morbi progreſſus ac matu-

ratio fieret, ægrique longe minore cum toedio morbum perferrent. Sin vero aut frigidior anni tempeſtas, aut eruptio copioſior id minus concederet, lecto quidem eosdem detinebat, verum & moderate tectos, &, foco in Camino mediocriter, bisque die duntaxat, accenſo, quando hyems ſcilicet ingrueret, locum in lecto ſæpe mutare jubebat, ne ad pernicioſos hic ſemper ſudores cogerentur.

Sed *Sydenhamo* objiciebant, quod nunc mihi; multos methodo prorſum contraria tractatos nihilominus convaleſcere. Reſpondebat vir candidus negari tamen non poſſe, quin quoque plurimi illa contraria methodo interirent, pluresque adhuc interituros, niſi vel a frigidiore tempeſtate, in quam fors inciderit Morbus, vel a Phlebotomia, ſervarentur: tumque notabile hoc addit: „ Ex dictis,

„ ut

„ ut obiter attingam, facile erit vul-
„ gare illud problema ſolvere, quî
„ fiat ſcilicet, ut perpauci adeo e
„ plebe hoc morbo pereant, ſi ad
„ eos comparentur, qui inter divites
„ eodem *trucidantur*? Quod quidem
„ vix ad aliam cauſam poteſt referri,
„ quam quod ob rem domi angu-
„ ſtiorem, & agreſte vivendi genus,
„ vix fiat illis copia ſibi nocendi, Re-
„ gimine magis accurato, ac deli-
„ catiore.

Quando nunc *Sydenham* in valde confluentibus ægros lecto addicebat, veniam concedebat ab hac in illam lecti partem corpus pro arbitrio ſuo transferendi, eosque, febre maturatoria adpetente, ad id ſerio monebat, imo per alios curabat illos in lecto verſari. Si autem facies in diſcretis ad 8. diem flacceſſeret, ac palleſceret, ſudorque bonus eo tempore

cessaret, & phrenitis oriretur, præter Venæ sectionem, & paregorica, asseverat sæpe se ægros ab imminente morte præservasse liberiorem auram illis conciliando; quo ut rite fruerentur illos lecto aliquantisper surgere jubebat. Confirmat autem experientiam suam exemplis Phreniticorum, qui post sedulitatem irrisam custodum externo aëri frigido, eique nocturno, se exponendo, servati sint; & exemplo juvenis, quem in Variolis mortuum nunc a Phrenitide habitum, lectoque exemtum, & in mensa, ut cadavera solent, positum, aër frigidior in vitam quasi revocaret. Coma Variolosum eadem ratione tractans, *eadem sanguinis contemperatione* inquit, *& maculas purpureas vidi sublatas.* Urinæ suppressionem in Variolis, Acutisque aliis, ægrum lecto eximendo melius, quam per omnia alia

re-

remedia, curabat. Conqueritur alio loco Vir præſtantiſſimus, Incautioribus quibusdam neceſſe videri, ut ægri in variolis lecto affigantur, eo quod ſudores, in quos illi proclives, cum facilius inde manarent, tum æſtum moderarentur febrilem; ubi tamen ſole evidentius eſſet, quod exſiccato hinc corpore ad diem undecimam quamplurimi vitam cum morte transmutarent. In malignis Variolis, non ductus opinione, ſed experientia firmatus, aſſerebat „nec „Venæ ſectionem, nec medicamen„ta diluentia, & refrigerantia, per „ſe periculum auferre; plus vero „expectari oportere ab aere mode„rato ac renovato: ſic quidem ut „non, niſi nocte, Lecto commit„tendi eſſent, quibus confluentes il„læ anomalæ variolæ erupturæ præ „viderentur. Et in genere con-

„ fluentium ſemper usque in tertium
„ & quartum eruptionis diem vix,
„ niſi nocte, lectum ægris conceſſit.
„ ſexto autem morbi die, ſcil. ter-
„ tio aut quarto eruptionis, cum
„ ægri præ debilitate abſtinere le-
„ cto de die vix poterant, eosdem,
„ & ob virium defectum, & ob ſuf-
„ ficientem puſtularum copiam, lecto
„ addicebat; ea tamen lege, ut non
„ plus tegerentur, quam ſani con-
„ ſueverant, & in lecto ſe verterent
„ ſæpius, verterenturque, ne ſudo-
„ res, hic adeo noxii, proliceren-
„ tur. Quare & ipſos infantes cu-
„ nis ſæpe eximi curabat.

Patet igitur evidenter *Sydenhamum* haud ſolos eos condemnaſſe, qui aë- re ac ſtragulis in lecto calefacerent, verum etiam hos, qui ægros in lecto ſimpliciter detinerent: Hoc porro in- culcavit, ac repetivit, urſitque, ſin- ce-

cerus ille & candidus vir, toties, ut hujus articuli necessitatis ipsum oportuerit penitus convictum fuisse. Hoc ipsum tanti fecit, ut judicaverit non modo frustraneam sine eo esse reliquam antiphlogisticam curam, verum etiam ut descripturus in *Schedula monitoria* singularem epidemicam febrim, in qua *mala passim arte* gigni observabantur Petechiæ, Maculæ purpureæ, Miliaria rubra ,, quæ licet sponte sua ,, *nonnunquam* ingruant, *sæpius* tamen Lecti calore & Cardiacis *extorquentur* ,, hæc summe notanda verba adjungat: *Æger jugem in lecto decubitum, quantumvis levissimis stragulis coopertus sit, non sine magno suo periculo experitur.*

Hæc porro incomparabilis ille Veteranus multiplici annorum serie, non ex ludicra Cerebri Phantasia, sed Natura duce, didicerat, innumerabili-

literque viderat confirmata. Quicumque deinceps naturam imitati in medendo, *Sydenhamiana* veriſſima invenerunt. Et quod luculentius teſtimonium *Boerhaaviano*? *Variolarum adeo accurata Sydenhami deſcriptio, ut decies legi merenti, pauca modo addenda habeam.* Aphor. 1379. Quicumque Medici in Schola Boerhaaviana Medicinam edocti, & cum *Boerhaavio Sydenhamum* ſecuti, nihil non exacte verum ibidem deprehenderunt. *Boerhaavii* jam ſeneſcentis diſcipulus, cum publico communicavi in Tomo 2. *Rat. Med.* Cap. 3. & in Tractatibus quos de Variolarum inſitione conſcripſi, propriam meam annorum multorum in Variolis praxin, quæ Sydenhamianis, & ad hæc adjectis *Boerhaavianis*, ad utraque autem additis propriis obſervatis innixa, felicitate curandi demonſtrat, quam tuto ac

pro-

proficuè hac via eatur. Pediluvia bis die per univerſum morbi tempus a *Boerhaavio* ad methodum *Sydenhami* addita, quum eo tempore ægri in Lecti crepidine, ſi debiliores; in ſedili, ſi firmiores, erecti collocentur, adeoque atmoſphæram adhuc frequentius mutent, hæc, inquam, utilitate ſua magnopere ſe commendaverunt.

Quid quod etiam hæc praxis a multis illorum confirmetur, ac laudetur, qui oppugnent eandem? Obruta Europa fuit Diſſertationibus de inoculandi Variolas præſtantia, eo præter alios fine ſummopere commendanda, & ubique introducenda, quod ſedeant, quod ambulent, quod ludant, quod curſitent ſuo in cubiculo inoculati, tam in febre contagioſa, quam poſt plenam eruptionem; ſic ut ne ægrotare quidem videantur, neve metus re-

retropulsionis adsit ullus. Provoco ad complures Scriptores, qui hujusmodi narratiunculis suos delectarint Lectores. Quid igitur metuatur ne benigna miliaria, quibuscum ægri, ut ajunt, vix ægrotent sæpe, retrocedant, retrocedendoque necent? quid metuant ne erupturum quod creditur exanthema, extra lectum haud satis pellatur foras? An quod, ut suo jam tempore dolebat & conquerebatur *Hoffmannus*, exanthema miliare *factitium* ex facili retrocedat & necet? hoc aliquando contingere cum *Hoffmanno* & *Sydenhamo* arbitror in Petechiis ac Miliaribus factitiis, nec non in Variolis atque Morbillis, quos copia ac malignitate methodus prava auxerit; cæterum quod *Sydenham* testatur, id plures mecum videre Medici, Variolas, Petechias, Miliaria, copiosissima in denatis confertissimaque extare;

sic

ſic ut mors eorum retropulſioni tribuenda non eſſet.

Dolendum interea eſt, quod exultans olim de excuſſo hoc pulvere Medicina, *Sydenhami* potiſſimum ac *Boerhaavii* laboribus, nunc denuo eodem conſpergi contegique ſic videatur, ac ſi nunquam fuiſſet excuſſus. Olim honori ducebatur magnorum horum virorum inhærere veſtigiis; ab illis vero diſcrepare in gravioribus rebus, dedecori. Summa cum voluptate horum vituperia, illorum encomia, legimus apud Ill. *Hallerum* in Comm. ſuper *Meth. Stud. Boerh.* Nec horum ſolummodo, ſed & illorum, qui antequam Medicina hoc inclytum Virorum par venerabunda ſuſpiceret, vel ob communem cum iisdem ſententiam humano generi profuerant, vel ob contrariam nocuerant. „ Ab „ eo Viro, (*Helmontio*) in Sylvium,

„ alios-

„ aliosque Medicos, amor transiit an-
„ tacidorum, quibus innumeræ ma-
„ læ, in Germania inprimis, cura-
„ tiones peractæ sunt. „ Hall. pag.
888. De *J. D. Horstio* Prof. Magdenb.
„ Extant etiam practica, & non ma-
„ la aliqua, ut calidæ curationis in
„ Variolis Refutatio. „ Pag. 891.
Et „ *Franciscus de le Boe Sylvius, Ha-*
„ *noviensis* . . . . egregius . . . .
„ autor, tot laudes corrupit nova ad
„ Helmontianam nata Theoria, qua
„ omnes fere morbos, & acutos
„ omnes inprimis, ab acido dedu-
„ xit, alcalinis vero, & quidem vo-
„ latilibus, sanare voluit; neglecta
„ interim, aut non satis laudata V.
„ S. atque refrigerante Diæta. „ Pag.
894. „ *Thomas Sydenham* meruit
„ post *Hippocratem* primo loco recen-
„ seri, *non a grata sola posteritate*, sed
„ dum inter vivos fuit. Eam lau-
„ dem

„ dem ſibi peperit, quod *ab omni* „ *Hypotheſi purus*, omnem laborem „ ſuum unice obſervandis morbis im„ penderit, eorumque curationem ab „ ipſa per felices eventus, inprimis „ præeunte natura edoctus, propoſue„ rit; febres autem, rejecta inani „ Veneni ſpecifici, aut Acidi hoſtilis „ theoria, in univerſum per acida „ atque refrigerantia expugnare do„ cuerit. „ Pag. 895. „ *G. H.* „ *Welſch* . . . . . in praxi ſecutus „ eſt vulgarem ſui ævi methodum. „ Calida & Bezoardica dedit in febri„ bus. „ Pag. 897. „ *J. Michaëlis*, „ Profeſſor Lipſienſis de Chemica ſe„ cta, magnus medicamentorum com„ poſitorum calidorum & ſudorife„ rorum inventor, & ex eo ipſo Pa„ triæ non utiliſſimus, quæ his alio„ quin nimis indulget. „ Pag. 897. „ *Caſp. Theophilus Bierling*, parum la-

 „ ti-

„ tinus homo, & deditus formulis, „ quarum vim non mediocrem sub „ finem subjecit, *non tamen absque* „ *judicio fuit, qui præter sæculi morem,* „ *in Germania inprimis* raro exemplo „ Venam in Variolis secuerit, cali„ dam curationem rejecerit. „ Pag. 901.

Et quid volupe magis, quam ea encomia legere, quibus *Sydenhamum* sequacesque ejus, insatiabiliter extulit Ill. noster Præses? Videatur ad §. 715. & 716. Aph. Boerh. ubi, postquam in sudorum in Acutis expulsionem, usumque Croci, aliorumque calidorum remediorum, acriter animadvertisset, hæc demum addidit: „ Le„ gi merentur de hac re illa, quæ „ passim in suis Operibus habet *Sy*„ *denhamus*, qui generoso ausu pri„ mus, & solus fere, se huic tor„ renti opposuit, & PERNICIOSAM

„ HANC

„ HANC MEDENDI METHODUM
„ GRAVISSIMIS ARGUMENTIS
„ DEBELLAVIT, ILLIQUE CON-
„ TRARIAM FELICI, IN PERI-
„ CULOSISSIMIS ETIAM MOR-
„ BIS, EVENTU STABILIVIT. „
Et ad problema *Boerhaavii* §. 698. *Cur lecti, aëris clausi, victus, Medicamentorum calor, adeo hic noceat?* „ Per-
„ versa hæc methodus, inquit Præ-
„ ses, inprimis invaluit, quia Medi-
„ ci quondam fuerunt in hac opinio-
„ ne, per sudores tutissime febrilem
„ materiem de corpore eliminari pos-
„ se; atque ideo tepore lecti corpo-
„ ris omnem superficiem fovendam
„ semper voluerunt. Verum uti opti-
„ me demonstravit *Sydenhamus*, in
„ fine morbi cocta & subacta morbi
„ materies sic quandoque expellitur;
„ in morborum vero initiis, impor-
„ tuna arte sic expressis sudoribus,

 „ li-

„ liquidiſſima pars ſanguinis diffla-
„ tur, & MORBI SEMPER IN PE-
„ JUS RUUNT. Unde huic tor-
„ renti ſe generoſe oppoſuit magnus
„ ille Vir, ſolus tunc fere. „ Et ad
§. 610. ubi Boerhaave ſcribit : *Si itaque exorbitare deprehenditur Circulatio, moderamen fit abſtinentia, victu tenui, potu aquæ, aëre frigidiuſculo .... medicamentis blandis refrigerantibus*; ſic Ill. Commentator habet : „ Elapſo
„ ſæculo Medici fere omnes erant in
„ illa opinione omnes febres tutiſſi-
„ me & citiſſime ſanari poſſe per Dia-
„ phoreſin. Hinc in calidiſſimo aë-
„ re ægros detinebant, ſtragulis te-
„ gebant, imo obruebant, ut nem-
„ pe fota corporis ſuperficies hoc ca-
„ lore, ſudoribus emittendis foret
„ aptior. Verum magno ægrorum
„ damno ſic ignes ignibus addeban-
„ tur, & enormiter exacerbabatur

„ fe-

„ febrium impetus. Omnium ma-
„ xime vero huic methodo insiste-
„ bant in illis morbis, quos cutaneæ
„ eruptiones comitabantur, quales
„ sunt Variolæ, Morbilli, &c. Pri-
„ mus fere se huic torrenti animose
„ opposuit *Sydenhamus*, atque passim
„ in suis Operibus indicavit nihil per-
„ niciosius esse.

Et quid miremur Ill^{mos} Viros *B. van Zwieten*, & *Hallerum*, in *Sydenhamo* celebrando adeo fuisse profusos? Laudes Viri antea paucis verbis omnes inclytus comprehenderat *Boerhaavius*, in Orat. *de Commend. Stud. Hipp.* dum primum conquestus quod inter recentiores de *Medicinæ usu* scriptores, pauci, si ulli essent, veterum perfectionem attigissent, cum tamen Priscos in cæteris artis nostræ partibus longe superassent, in hæc verba erumpit: „ Unum eximium habeo, *Tho-*

„ *mam Sydenham*, Angliæ lumen, Artis Phœbum, cujus ego nomen sine honorifica præfatione memorare erubescerem : quem quoties contemplatur, occurrit animo vera Hippocratici viri species ; de cujus erga Rempublicam Medicam meritis nunquam ita magnifice dicam, quin ejus id sit superatura dignitas.

At quorsum hæc, forte inquient, de *Sydenhami* laudibus aberratio ! Ut miremur hodiernam praxin eo iterum ruere præcipitem, unde *Sydenhamus*, Virique post illum in praxi summi, eandem tam fortunate eripuissent; hodiernam, inquam, praxin sic tradi, colique, ac si ingentes illi, quos laudavi, Viri, ejusdem regulas, natura duce inventas, nunquam posteris tradidissent; venerandaque eorum nomina in tradenda praxi vix amplius re-

resonare. Doleo Artis fata! Interim probe noscant genuini omnes Artis filii, dum alienam a laudatissimis his viris praxin coli cernant, ex mea saltem schola petitam non esse; ut qui primum in Mandatis habeam Boerhaavianum, id est Sydenhamianum, id est Hippocraticum puræ naturæ studium, unice tradere cum theoretice, tum practice; secundo, ut qui, etiam citra tale mandatum, nunquam aliam doctrinam traditurus essem, quam eam, de cujus usu & certitudine tantorum annorum praxis certissimum me reddiderit. Unde etiam nunquam me defuturum polliceor, quin masculam hanc medicinam tuear voce, & calamo, contra quoscumque.

Ut autem difficultatem hanc VIII. demum absolvam, debeo adhuc *Vesicantia* tueri in Acutis. Postquam *Aretæus Cappadox* forte primus iisdem Me-

dicus usus est, Medici plerique eadem magni fecerunt; cum vero, quemadmodum cum cunctis medicamentis comparatum est, haud omnibus ex æquo prodessent, *Caji*, *Massariæ*, *H. de Saxonia*, *Terilli*, *Baglivii*, *Hoffmanni*, *Veratti*, operâ, usum abusumque illorum rite intelleximus. Observatione practica propria ad eas Cl. horum virorum adjecta, constat mihi evidenter, Vesicantia prodesse, ubi vis vitæ debilior, quam ut morbum coquat; deinde, quando intentio est certam corporis partem irritare sic, ut in eandem major calor, rubor, dolor, humorumque advocetur, & acceleretur, affluxus; quo demum quæ pars a morbo præcipue afficiebatur, ea minus humorum accipiat, multaque vis morbi ex reliquis corporis partibus in unam veluti derivetur: præterea quando topicus dolor,

cæ-

cæteris immoriger auxiliis, irritandus eo ſine eſt, ut, qua doleat, materies attenuetur, diſcutiatur, pellaturve foras: forſitan quoque quando in Nervis aut motus tumultuarius, attenuata ac diſpulſa agitante eosdem materie, moderandus; aut ſufflaminatus, ſtimulo agitandus eſt. An evacuationibus aliis ſufficienter inſtitutis, diſſolvant quoque cruorem phlogiſticum? Sapientioribus hoc determinandum relinquo, id modo teſtatus, quotiescumque dolorem pleuriticum, ad Phlebotomias iteratas, cæteraque auxilia immorigerum, Veſicante brevi ſuſtulimus; quando veſicans mihi in Pleuroperipneumonia omnem brevi ſedavit dolorem, febrim non modo non intenſiorem, ſed moderatiorem fuiſſe, multoque faciliora ſputa prodiiſſe. Proxime autem ad Veſicantia qui accedant, Dropaces, Phœnigmi,

Sinapismi, huc quoque referendi sunt. Vesicantia præprimis in parte quam rubefaciunt, solutis Epidermidis cum Dermate Vinculis, Vesiculas excitant, quæ, maligniores si exceperis acutos, laticem, qui ad ignem concrescit, continent.

Ex phænomenis enarratis destruuntur ratiocinia praxeos vacua, quasi calorem in corpore præparato excitarent, eo, qui a calidis Alexipharmacis excitatur, formidabiliorem. Unde in præparatis, ut semper requiro, corporibus, ad intolerabiles capitis dolores, ad coma utrumque, ad deliria, ad pungentes dolores pleuriticos, ischiadicos, &c. salubriter adhibentur, humorum minime inde aucto motu. Et dum *Sydenham* in variolis consuesceret Allium pedibus adhibere, dum nos aut idem, aut simile admovemus, sic calorem, do-

dolorem, & metuendam adeo in Variolis Phrenitidem, minui obſervamus, ut eandem ob cauſam febris ipſa adpareat moderatior. Quare & per totum Variolarum decurſum hæc ſalubriter adhibentur. Itaque ſi quis rogaſſet *Sydenhamum*, quid ſibi vellet *execrationibus* ſuis in Alexipharmaca, quæ tam parce dentur, ut qui in eadem invehatur de lana diſputet caprina; ubi ordiri debuiſſet ab execratione Veſicantium? Utique ſolita modeſtia ſua vir candidus reſpondiſſet, ſe a calida methodo experiri in febribus caloris augmentum, a Veſicantibus autem & Epiſpaſticis, poſt requiſitas evacuationes admotis, haud modo non auctum, ſed imminutum calorem; hic ceſſare oportere ratiocinia; hic ſolam conſulendam eſſe, quæ jugis ac ſedula ad Lectos ægrorum, & minime in Muſæo, comparetur, experientiam.

IX.

IX. Quædam superſunt minoris momenti in Diſcipulorum objectionibus, ad quæ tamen & ipſorum, & veri amore, reſpondendum eſt. Ac primo quidem referunt mihi *a multis falſam haberi, quam ad corroborandam ſententiam meam a R. R. Fratribus Miſericordiæ mutuaveram obſervationem: vigere quippe apud ipſos eodem ſemper modo ut olim, & olim ut nunc, exanthematicos morbos.*

Quæ de raritate Miliarium in Noſocomio Monaſterii horum fratrum in *Tract. de Febr. Diviſ.* cum publico communicavi, hæc ex Diariis depromſeram, quæ ſuos in uſus ſibi exaraverat Rev. Frater *Bertrandus*, noſter Collega expertiſſimus, confirmata teſtimonio reliquorum fratrum. Conſervavi hæc mihi, ut cui lubet oſtendere ea poſſim. Qui vero dubitet de Diariorum illorum fide, me imitetur,

olim

olim ſubdubitantem; & ut ego tunc, & poſtea, & haud ita pridem, ita ipſe Monaſterium intret, examinetque ægros; inter 140. 150. quorum plerique acute degunt, ſæpe 1. 2. 3. ſæpe nullum, quem Miliaria tegant, inventurus, idemque ab expertiſſimo Viro, digniſſimo illius Noſocomii Phyſico *Guarin*, cunctisque confirmari Fratribus, auditurus: qui & id addent, quos paucos exanthematicos habeant, iis dudum domi aut neglectis, aut prave tractatis, exanthema jam paratum, expulſumve fuiſſe, antequam ad ipſorum deferrentur Noſocomium.

Ergo reſumo, quam olim feceram concluſionem: Si non a cauſis peculiaribus, quas toties jam memoravi, verum a cauſa cunctis communi, Miliaria orirentur, Fratres Miſericordiæ iisdem, æque ac alia Noſocomia quædam,

dam, ſcaterent: atqui ſæpe raros, ſæpe nullos, in tanta acutorum ægrorum turba habent eisdem affectos. Ergo.

Inquiſivi ſæpius in Methodum ipſorum, & tractatu de *Febr. Div.* plurima dixi. Id modo & Exp. Phyſicus, & Fratres, addunt, quod nulla dies ſit, in qua ægrorum Lecti non bis penitus reficiantur, niſi vires id omnino vetent. Quantum id ad avertendos cutaneos morbos in acutis conferre debeat, demonſtravit ſupra *Sydenhamus*; demonſtrat experientia quotidiana.

X. Objiciunt Studioſi *a me in Gallica ad amicum Epiſtola minus fideliter ex lingua latina in Gallicam verſum eſſe textum Lautteri; ſiquidem illo maximam partem Miliarium factitiam ſcribente, ego illud pro* maxima parte *in transferendo omiſerim.*

Fa-

Fateor illud *pro maxima parte* omiſſum eſſe, ſed negligentia, non vero peculiari intentione: cum enim tantum hoc probandum ſuſcepiſſem, quod Miliaria *pro maxima parte* factitia eſſent, non indigebam Lauteriana experientia, niſi quatenus idem, quod ego, probaret. Demonſtraturus quippe quod idem ille, quod ego, diceret, fruſtra plus dicentem induxiſſem. Sed ridiculum eſt nugis ejusmodi inhærere. Oporteret alioquin rogare num is, qui in eodem textu Lauteriano Gallice vertendo, ubi in Latino eſt, *ad incitas* fere *redactus*, redderet *deja reduit a l'extremité*, omittendo *presque*, an inquam, talis homo aut alia editione operis Lauteriani uſus eſſet, aut malitioſius illud *fere* omiſiſſet?

XI. Laudantem me ore ſcriptisque egregii *Hazenohrli* opus ſuper hac mate-

te-

teria mirantur Studiosi, cum videatur ipsis hic Autor sibi minime constare. *Primo quod scripserit anno 1760. pauca sibi obtigisse Miliaria, dum interim ipsi Studiosi Hispanicum Nosocomium frequentantes, copiosam inibi miliarem repererint.* 2do *Miliaria in Nosocomio eodem Studiosi viderunt & benigna, & morbi cum emendatione, ut capere proinde nequeant cur Medicus ille eadem critica esse neget.* 3tio *Eundem qui scripserat anno 1760. pauca exanthemata se vidisse, mox asserere quod multoties, quod sæpius, emicuisse viderit.* 4to *Illa saltem exanthemata factitia appellari neutiquam posse, quæ nec ipsi Autori ibidem Physico, nec ejus Chirurgo, pepercerint.*

Ut paucis multa comprehendam, an me mecum dissentientem sincerus homo suspicabitur, dum in Cathedra v. g. dico pauca Miliaria mihi in Noso-

ſocomio obtingere, & dum paulo poſt Auditoribus aſſero me in urbe, ac ſuburbiis, eadem ſæpe, multoties, pluries, emicantia obſervare? Ita nullam in Libro Egregii hujus Medici contradictionem infert, quod pauca miliaria viderit in ſuo Noſocomio, quod plura viderit alibi, ſive in altera ſui Noſocomii parte, cui non præerat ipſe, ſive in ſua privata praxi. Quin quod eadem in *multis* non critica, *multoties* cum morbi gravamine contingentia aſſerat, an id eodem ipſo anno, & non potius multorum ſerie didicerit annorum? Quod vero *ſæpius* Studioſi Miliaria apud ipſum viderint, quod viderint etiam *benigna*, nemo inficias ibit, qui noverit quoties turmatim Milites ad ipſum deferrentur, quibus exanthema jam erupiſſet, aut in procinctu ſtaret; haud vero multa ipſi apud eum videre tunc, quando pauca

haberet. Quod Chirurgus ejus gravi exanthemate anno 1760. decubuerit, quid mirentur? Debuerat is etiam alteri Nosocomii Hispanici parti prospicere, ubi Exanthema erat *epidemicum*, ut publica scripta testantur. Qui igitur inter exanthematicos diu noctuque versabatur, nunquid eundem demum exanthematicum mirari oportet? sed an conclusio legitima est; quia ille Chirurgus in parte ea Nosocomii hispanici, ubi exanthema epidemicum, etiam exanthema contraxit; ideo etiam exanthema plurimum fuit in qua parte Nosocomii *Dominus Hazenöhrl* Medicinam faciebat? An quod eruditissimus ille Nosocomii Physicus anno 1757. diu noctuque inter exanthemata versatus, demum contagione iisdem quoque gravissime corriperetur, concludere possint Exanthema etiam frequens apud ipsum triennio post

ani-

animadverti oportuiſſe? Aut quod illi bini ex contagio in Exanthematicos morbos inciderint, ideo non eſſe verum quod factitia Exanthemata dentur? Neſcio demum, quid ſibi velint.

Quod autem clarus idem Vir Miliaria, una cum aliis evacuationibus coctis erumpentia, neget critica eſſe, nec his, ſed evacuationibus illis aliis, criſeos concedat prærogativam; id ideo fecit, quia aliter facere Medicus rationabilis non poteſt. Sat ſuperque probatum eſt Miliaria & Petechias nunquam Critica, ſemper vero eſſe Symptomatica: demonſtrationes pluries attuli. Quid ergo de iiſdem, una cum aliis bonis evacuationibus conſpicuis cogitandum, niſi quid pravum, quid indomabile, bonitate naturæ ſimul expelli de corpore, dum cocta expelluntur. *Hippocratis* alumni,

ni, dum ad ſudores criticos, urina tenuis nigra; dum ad Hæmorrhagias criticas, gangrænoſa alvus; dum ad alvum criticam, ſputa ichoroſa ſimul compareant; criticam evacuationem ſalutamus, non peſſimam quamque crudam, ſed vere coctam; unà gaudentes naturæ robur tale, ut cum optima evacuatione ſimul corrupta & nocitura eliminentur.

Sed offendit illos hæc explicatio, eo quod apud Exp. Virum hunc viderint Miliaria admodum benigna; adeoque non ea, quæ cum urinis nigris, cum gangrænoſa alvo, cum ſputis comparentur ichoroſis.

Profecto videre benigna talia, ſed etiam viderunt, benignis copioſiora, maligna. Quid ergo ex illis paucis benignis concludant oportet, niſi, quemadmodum apud me pluries alvum criticam, cum pravo ſputo, in

pe-

pectoris inflammationibus ſic viderint, ut aliquando valde mitis morbus appareret, facileque alvo judicatus & urinis; ita Miliaria, quantumvis mala & ſymptomatica, citra ulla malignitatis indicia adeſſe poſſe, & morbum aliis criticis evacuationibus benigne ſolvi, ac judicari?

Rogant me an ſaltem illa Miliaria, quæ, criſi jam facta, & Doctiſs. *Hazenöhrl*, & ego, vidiſſe nos teſtamur, non ſint vere critica, aut metacritica; qualia plura *Hippocrates* deſcripſerit, quando a priore criſi morbi materies haud fuiſſet eliminata ſufficienter?

Quod toties demonſtratum eſt criticum dici minime poſſe, non poteſt iterum aſſumi, ut criticum: adeoque inanis tota hæc quæſtio eſt. Sed undenam ergo illa Miliaria judicato penitus morbo? Forte a contagio. Si

homo levi venereo contagio, nec dum ſe manifeſtante, affectus, in morbum acutum inciderit, morboque abſolute judicato, prodeuntem Gonorrhœam aut Bubonem percipiat, utique non vocabimus Gonorrhœam aut Bubonem morbi acuti, jam judicati, criſin, ſed effectum contagionis ante morbum contractæ.

Contagium porro miliarium in urbe, quæ iisdem adeo ſcatet, contrahere facile eſt; quandiu vero in corpore latere poſſit, antequam effectum edat, incertum. Sufficiat contagia alia noſſe, quæ diu lateant. Rabidi canis, inſitarum variolarum, veneris impuræ, contagia ſæpe brevi, aliquando multo latuiſſe tempore, antequam in nervum erumperent, practica obſervata demonſtrant.

An miliaria tamen talia prodire, poſt criſin acuti morbi abſolutam,

ſic

ſic poſſent, ut nulla ægritudo obſervaretur, nullave febris?

Profecto poſſent, cum deſcribantur apud Autores miliaria dicta chronica, quæ vel in ſanitate illibata, vel perfecta morbi criſi, homines ſic adoriantur, ut ſæpe non ægrotent. Provoco ad teſtimonia publica. Inducor fere ut credam chronica Miliaria, quæ in aliis cum nonnullis incommodis, ſine febre; in aliis ſine febre, aut ulla moleſtia, ut v. g. ſcabies, ſæpe efflореſcunt, plurimum deberi ejusmodi contagio, quod diutius breviusque latens, demum chronice efflореſcat, ut *Hazenohrlus*, ut ego, poſt abſolutam acutorum Criſin aliquoties obſervavimus.

Sed nondum finis objectionum. Vehementer Medicinæ Tironibus diſplicent hæc ejusdem Autoris verba: „ Sed vidi *multoties* illos, qui confer-

„ to exanthemate ſcàtebant, gravius „ longe ægrotaſſe iis, qui pauco ma- „ cularentur:„ Rogant me an ejusmodi ratiocinium non ſit practicis contrarium obſervationibus? Multoties, inquiunt mihi, vidimus, qui copioſa ſputa redderent in morbis pulmonicis, gravius longe ægrotare iis, qui pauca expuerent: Vidimus, ajunt, *multoties* homines febre ardente detentos, qui die critico egregie ſudantes, gravius longe ægrotarent iis, qui parum tantum. Nunquid inde juſte quis concludat nec ſputa, nec ſudores, critice morbos judicare?

Benigne ferant Medicinæ Tirones, me reſpondentem, ſi ad Acutorum Criſes in Noſocomio meo attentiorem animum adplicuiſſent, ſi Hippocraticæ doctrinæ vel leviſſimam conſervaſſent memoriam; ſe talem objectionem mihi facturos non fuiſſe. Etenim

enim dum die critico bonæ contingunt, copiosæque evacuationes, v. g. Sputorum in inflammatione pectoris, sudoris in febre ardente, solent omnes, quotquot talia fiunt, se melius habere iis, qui parum aut expuant, aut sudent. Ab una enim parte evacuatio critica magnitudini morbi respondeat oportet; unde Priscorum axioma: *Nihil paucum criticum*: ab altera parte emendatio morbi, ejusque symptomatum, in signis bonæ criseos haud infimum locum tenet. Ita ut Studiosorum objectio duplex supponat falsum. Sin vero rariore casu, (nequaquam autem *multoties*, id enim falsum,) post ejusmodi sputa, sudoresve copiosos, ægri gravius longe ægrotarent iis, qui modo paucos haberent, referendæ hæ evacuationes forent ad *κρίσιμα μὴ κρίνοντα*, & infidæ cum *Hippocrate*, perniciosæque, declarandæ.

Sed ſuperfluum, & inane eſt, ad ſimilia argumenta attendere; cum enim ſat ſuperque demonſtratum ſit Petechias & Miliaria ne vel umbram criſeos habere, refutat ſe ipſum omne argumentum quod critica eadem falſa ſupponit.

XII. *Cum videant Studioſorum ſimpliciores quomodo Medici alii apud ægros ſuos accenſâ utantur candela, examinaturi num pectus, collumque exanthema ferat; dubitant an fors ideo Noſocomium noſtrum pauciora non exhibeat exanthemata, quod candela haud ſemper luſtremur.*

Crudum dubium, cruda ſolutione dignum. An quod cænaturus luce candelarum indigeam, quo ferculis patinisque diſtinguendis ſim, etiam candelam pranſurus petam? cura noſtra eſt acutos maxime ægros iis in lectis collocare, qui, cortinis apertis, plenum lucis jubar admittant, adeo-

que

que exanthemata vel minima actutum revelent. Imo ægros lecto exemtos plena die mecum ſtudioſi ſolent, num effloreſcant, examinare. Sin vero loci anguſtia, & major ægrorum numerus, nec non ſi inſignis debilitas ægri in lucem vetat eum adducere, aut dies in hyeme tenebricoſior ſit, candela utimur accenſa. Quapropter dum dies plena plus candelúla illuminet, & e contrario ægri alibi paſſim ſic locentur, ut Medicus eos luſtraturus candela egeat, arbitramur nos in exanthematum detegenda præſentia eſſe cæteris certiores. Minutulorum Artifices craſſiora opera ad candelæ lucem, ad plenam diem ſubtiliora, reſervant. Addiderim Exp. Dominum *Guarin*, & omnes Miſericordiæ Fratres, ob plerorumque ægrotantium ſitum candela uti, nec tamen ideo invenire exanthemata.

XIII.

XIII. Tandem propoſuerunt mihi Studioſi dubium circa *Cl. Hoffmanni*, *Fuchſii*, ac *Trumphii* allatam *Libr. de Febr. Div.* autoritatem; *& quidem ſic, ut Cl. Hoffmannus, ſtatuens exanthematicos hoſce morbos cum ſponte genitos, tum vere criticos eſſe; ut Fuchſius, miram de cura uterini ſphaceli per remedia externa theoriam proponendo ſuſpectus, deinde exanthema violente extortum cum euphoria procedere, quod impoſſibile, docens; ac præterea exanthemata puerperis uteri inflammatione laborantibus, ante nonum puerperii diem ſalutaria eſſe contra me ſtatuens; tandem Trumphius, qui haudquaquam de ſudoribus, ut Miliarium genitoribus, verum ut Miliarium comitibus, diſſeruerit, ac datis dedita opera calidiſſimis Bezoardicis, & Miliaria expectaverit, & eadem inde nata ſalutaria eſſe pronuntiaverit; ut hi, inquam, tres admodum ini-*

do-

donec a me ad confirmandam meam sententiam adhiberi ipsis videantur.

Si tres hosce Autores ideo laudassem, quod mecum censerent raro sponte naturæ miliaria & petechias gigni; utique male laudassem: si hosce viros ideo celebrassem, quod calida in exanthematicis morbis non commendarent; falso eosdem celebrassem: cum vero eam ob causam illos laudaverim, quod amare de iis Medicis conquesti sint, qui vel exanthemata producerent, ubi cæteroqui futura non fuissent, vel qui regimine calido uterentur in morbis, quibus exanthemata supervenire possent; tunc justo titulo hos omnes in meam sententiam citare potui & debui. Relegant ergo Discipuli mei & quid probare voluerim, & quid allati dixerint Autores; pudeatque ipsos se, omnia tumultuariò commiscendo, mihi intentio-

tiones varias imputasse, quas nec cogitaverim unquam, nec cogitare quidem potuerim.

§. III. Triste sane ac tœdiosum est, temporumque notat iniquitatem, toties dicta repetere oportere, cogique ad respondendum objectionibus, quas, si non malevolus animus, saltem defectus attentionis in audiendo, legendo, reminiscendoque, pepererit. Ast vero Publici ego servus, publicæ amator promotorque salutis, elucidare hanc Disputationem debui; qua demum a Tironum mentibus quævis hæsitationis nebulæ dispellerentur? Interest *Austriæ*, totius interest *Germaniæ*, tam clara in luce Sydenhamianam collocari Boerhavianamque doctrinam, ut cujus miserandæ pestis, sive indies sævius grassaturæ, sive maximam partem propulsandæ, arbitri sint, serio jubeant exulem de finibus

age-

agere ſuis. Eſt mihi cordi hoc negotium, nec plane ingratos meos cineres *Germanis* fore hariolor, quando ab hac funeſta plaga pene immunes, me adjuvante & urgente, ſe redditos eſſe recordabuntur. Feliciora vivimus tempora, dieſque gratiores, quam ut publicam ſalutem Nationis erroribus immolaremus.

Interim animos juniorum Medicorum ad ſanam doctrinam amplectendam ea eriget experientia, quam complures, qui mecum ſentiant, frequentem habuerunt. Egregius *Klein*, cujus opus honorifica præfatione exornandum eſſe *Ill. Haller* cenſuit, ſe deprehendiſſe declarat „ Exanthemata „ ſimplex accidens eſſe, & ſymptoma; nec critici quid, nec ſalutis „ ſpem facere. „ *Cl. Allionius* Taurinenſis Profeſſor eadem in Acutis, ſummo cum ægrorum emolumento, præve-

venienda esse, speciali tractatu evicit. Celeberrimus *Valcarenghi*, in Regia *Ticinensi* Universitate Prof. primarius, in *Spec. Pract. Cremonæ* 1761. edito in Quarto, aperte evicit nec ea Miliaria, quæ in Febribus suppuratoriis, nec ea, quæ in veris acutis adpareant, critica esse; hinc cum laudato *Allionio* omnem curam eo dirigi oportere, ut in hisce dictis morbis non prodeant: meamque denique, de Miliaribus & Petechiis factitiis sententiam, sua confirmat experientia. Egregius *Glas*, Comm. 7. de Febr. multus est in demonstranda Miliarium artificiosa generatione, & nocumento. Eximiorum Virorum *Hazenohrl & Lauter* tractatus, eadem propria experientia confirmantes, jam laudati sunt toties. Plures Medicorum, qui in ultimo truculento bello militibus curandis operam navarunt, serio mihi testati sunt,

Mi-

Miliaria & Petechias inveniſſe ſeſe copioſas aliquoties, quo loco alii, ſive calido regimine, ſive aëre haud ſatis renovato uſi, præceſſiſſent; pauca vero, ac ſæpe nulla in Noſocomiis, quibus præfuiſſent ab initio. Laudabiliſſimus Studii naturalis, Botaniçes, ac Medicinæ cultor *Cramer*, digniſſimus *Pontis ad Leytham* Phyſicus, pluries mihi narravit, dum plura millia *Boruſſorum* captivorum anno 1757. & 1758. ſuæ curæ demandati eſſent, inter 300. eodem tempore, acute ut plurimum, laborantes, vix quatuor aut quinque Exanthemata paſſos eſſe; illos vero quatuor vel quinque, aut nimium tectos, aut arcte concluſos ſe reperiſſe, antequam ſibi demandarentur: Leucâ autem a ſe diſtante Pago, ubi ab initio morbi calida methodus in uſu erat, vix ægrotaſſe quosquam, qui exanthemate non macula-

rentur; a Militibus in incolas contagium transiisse; pluresque, una cum Medico suo, Exanthematum genitore, mortem occubuisse.

Quando igitur Medicinæ Studiosi, & Medici juniores, qui in Nosocomio meo demonstratam veritatem viderunt, serio hæc dicta revolvunt animo, an non gravis molestia, quæ ægros sub calido regimine premat; an non periclitans adstantium sanorum salus; an non formidabile discrimen, quod in calido regimine a minimo, eoque fere inevitabili, frigore exsurgat; an non tot ægrorum perditio, qui vix priori morbo sustinendo pares, altero, eoque sæpe calamitosiore, torqueantur; an non acutorum, inflammatoriorumque morborum dubia, propter imaginariam Exanthematum curam, alea; an non præsens ipsorum Medicorum periculum

lum

lum contagionis & mortis; an non demum omni velamento denudatus patrius error; adhortari, incitare, animare, cogereque ipsos debeant, ut in Acutis morbis curandis inclytum *Sydenhamum*, admirentur, sequantur?

Præter insignia hæc emolumenta, quæ, Exanthemata haud ultra faciendo, universo generi humano conciliabunt ilico, etiam eidem supremum hoc beneficium præstabunt, ut contagio sensim imminuto, dira tandem plaga cesset, nec ultra, nisi in summa humorum corruptione, appareat.



CAPUT IV.

PROBLEMATA DE SCORBUTO.

§. I. *Cur nobis Scorbutus, quam Antiquis, notior? Quosnam potiſſimum affligit? Scorbutus alcalinus, muriaticus, acidus, differt ab acrimonia ſpontanea alcalina, muriatica, acida.* §. II. *Daturne talis triplex Scorbutus? an autem unicum modo eſſe nonnulli Recentiorum vere demonſtrarunt? Cum plura ad id obſervata requirantur, quam illi attulere, ut lis dirimatur, teſtimonia plura examinantur, & varia Diaria marina conſuluntur; ac* 1mo *quidem* Jacobi Quartier. 2do J. van Linſchoten. 3^{tio} Duodecim Nautarum, *qui ſoli de naufragio, & hybernatione in* Nova Zembla *ſuperſtites, poſt varios errores in patriam redierunt.* 4to Guill. Corn. Schouten. 5to *Claſſis* Naſſovicæ. 6to Laurentii F. Haan. 7mo Friderici Maartens.

8vo

8vo Trium navium *missarum ad novas terras australes detegendas.* 9no *Navis dictæ* Barneveld. 10mo Guillelmi Dampier. 11mo J. Egede. §. III. *Putridus Scorbutus esse Marinus evincitur, idemque cum terrestri; quæritur porro, cum terricolis mitior redditus sit, an eædem causæ etiam mitificare eundem maricolis possint? Hinc cognoscendæ marini scorbuti causæ forent. Causæ sufficientes non sunt aut marinus aer respirationi adversus, non aer humidus, non sal, nec vegetabilium succulentorum defectus. Cur vulgus marinum frequentissime, rarius navium proceres, afficiuntur? Machina* Suttoni *ventilatoria aëris humiditatem noxiam sæpe non tollit. Concluditur ex combinatis pluribus causis scorbuto Classiarios affici, quæ causæ navis proceres tangere nequeunt.* §. IV. *Scorbutus marinus & alcalinus esse unice adparet, & tamen remedio æque calido, quam frigido; sed semper ex Vegetabilibus succulentis; persanatur. Quæritur unde hoc?* Pringleana *experimenta an id explicent? Quid in nautarum salutem suadendum Supremæ Potestati? Curaretne morbum aër purus?* §. V. *Parcimonia nostra in dandis medicamentis;*

tis ; Nautarumque in iisdem devorandis aviditas ; efficere videntur, ut longe citius efficaciusque nobis illi curantur.

§. I. SCorbutus, morbus pro parte Antiquis notus, aſt vero, quia rarior, minus accurate, quam quidem poſterioribus ævis, deſcriptus. Cum enim in longis, tædioſisque navigationibus potiſſimum contrahatur, utique rarior fuerit morbus neceſſe eſt, quando naves littora duntaxat lambendo, novis ubique alimentis, nova ubique refocillarentur aqua; frequentior vero, ex quo læ-vum mutandis mercibus æquor arando, diuturno ſæpe tempore per immenſa maria fluctuantes, commercium agunt. Ergo & in Navibus jam multo numeroſioribus, plebeque oneratioribus, dicta de cauſa ſcorbutici longe plures quam olim; & in continente quoque copioſiores, quod inu-

numeri ex navibus in terram deportentur; quo tam Scorbuticorum in Regione numerum augeant, & morbum veteribus curatius cognoſcendi occaſionem exhibeant Medico.

Obſervatur Scorbutus quoque frequentior populis Septentrionalibus, maris quippe plurimum accolis, 1mo quod ibidem Athmosphæra ſit, ob fluxum refluxumque maris, heterogenea, ac putreſcentia, in littore relinquentis, impurior. 2do Quod frigidiora incolent humidioraque loca. 3^tio Quod Borealium gentium complures magnam vitæ partem in nave tranſigant, ſcorbutoque affecti ſuos repetant lares. 4to Quod protractiore ibidem hyeme, Vegetabilibus diutius careant. Quippe generaliter loquendo (exceptiones enim res habet, ut patebit,) in Scorbutum cæteris proniores ſunt, qui Vegetabili-

bus diutius carent, ut *Bachſtrom*, ut *Anglorum* plures, demonſtrarunt: ita ut v. g. in urbe diu, arcteque obſeſſa, cives, copiæque præſidiariæ, Scorbutum patiantur; interea dum, qui obſident, Scorbuto immunes vivant Vegetabilium abundantia, quam liber ad exercitum aditus, ipſique horti ſuburbani, ſuppeditant.

Dum Vegetabilia dico, intelligo ſucculenta: habentibus enim urbibus obſeſſis, & navibus, abundantiam Cerealium, Piſorum, Fabarum, nihilo minus ſcorbutus in illis ſæpe ſævit. *Viennenſis* Inclyta Facultas Medica Doctiſſimo *Cramero*, ipſam de ſcorbuto hungarico peſſimo conſulenti, Antiſcorbuticas herbas ſiccatas, hyems enim erat, & Antiſcorbutica deſtillata miſerat; dolens autem reſpondet *Cramerus* nullum morbi levamen ab iis ſe conſecutum eſſe. Patebit poſtea

ſtea ſpiritus quosvis antiſcorbuticos ſemper inutiles fuiſſe Nautis.

Cauſa proxima ponitur eſſe ſanguis rubra quidem parte craſſus, ſeroſæ vero partis una portio, mucoſa; altera, acris; acris autem ſpecificè: muriatica ſcilicet, acida, alcalina.

An porro ſimilis acrimonia acida, muriatica, alcalina, in ſcorbuto, quam in humorum acrimonia ſpontanea, in qua etiam hæc triplex notatur acrimonia? Schola medica multam utriusque notat diſparitatem. In ſpontanea acrimonia cujuscumque ſpeciei ſit, haud notatur putredo, atque exulceratio, gingivarum: non illa dentium vacillatio; non dolor ille, immobilitasque in genu, ſæpe cum tendinum cruris flexorum contractione; imo ne illa quidem matutina laſſitudo: In ſola ſpontanea acrimonia

alcalina apud *Boerh. Inst.* §. 912. notatur quidem putredo; in muriatica §. 914. rigiditas totius corporis: attamen conferenti has §.§. cum capite de scorbuto *Boerh.* ingens apparet inter utrumque differentia. Describitur in spontanea acrimonia alcalina, sanguis dissolutus; in scorbutica, sanguis parte rubra crassus; in spontaneæ alcalinæ sero, nulla mucositatis mentio; in scorbuticæ acrimoniæ alcalinæ sero pars mucosa una est, acris altera. Sed in singula spontaneæ acrimoniæ specie sanguis omnibus in partibus, pro specifica acrimonia, peculiari modo peccat; ut hinc acrimoniam ab acrimonia characteristicè distinguas: in scorbutica vero singulæ speciëi sanguis idem crassus, serum partim crassum partim acre: acre autem illud speciem a specie unice discriminat. Febris adest, abest, sic

ut

ut in ſcorbuti definitione non contineatur, quamvis quædam detur ſcorbuticorum nonnullorum peculiaris febris. Quam Doctiſſ. *Murray* in ſuæ navis Scorbuticis numeroſioribus epidemicam petechialem, eandemque funeſtiſſimam deſcripſit, hæc contagio maligni morbi, non ſcorbuti, tribuenda erat.

§. II. Eſtne igitur diverſa Scorbuti ſpecies? Eſtne ſingula ſpecificis ſuis curanda remediis? Graviſſimi Auctores poſt *Eugalenum*, & *Sennertum*, ſic docuerunt; egregii autem Medici non defuere, qui acrimoniam quidem ſpecificam agnoverint, curam vero indiſcriminatim tentarint calidioribus dictis antiſcorbuticis, & acidis; ſæpe etiam inter ſeſe commiſtis. Videntur igitur hi ſua curandi methodo indicaſſe, quod ſpecificam hanc in ſcorbuto Acrimoniam minus admitterent.

rent.

rent. Quin etiam dum Historias navales accuratius examinemus, & consulamus, fere in paradoxam opinionem incidimus, ac si unicam scorbuti speciem duntaxat esse stupendæ arguissent curationes.

Sed priusquam concludamus, expediet consuluisse eos, qui omnium optimam morbum noscendi & curandi occasionem nacti, nobis sua reliquerint observata.

Occasionem de Scholarum doctrina circa Scorbutum dubitandi, suppeditavit nobis opus tam utilitate, quam amœnitate, commendabile, Doctissimi Medici, *Richardi Walter*, quo iter præclari Architalassi *Anson* per Orbis ambitum, testis oculatus complexus est. In hoc erudito opere invenimus innumeris exemplis, quorum quodque centenos homines una capit, quæ proinde simul plures mille-

nas

nas ſanationes referunt, hanc ſententiam, veluti Axioma poſitum, quod Scorbutus navalis ſit alcalinus, ſit putridus, ſit qui vocetur calidus; de quo innumeræ hiſtoriæ nullum dubium reliquum fecerunt: quodque hic ipſe ſcorbutus putridus tutiſſime, ac citiſſime curetur, tam copioſis antiſcorbuticis calidis, quam frigidis; ita ut nautarum ſaluti æque conduceret copioſus Cochleariæ Ceparum &c. uſus, quam immenſa Aurantiorum ac Limoniorum pomorum copia. Mox nos in limine offendit tale paradoxon axioma, cum ſcholæ ſubvertat doctrinam; unde memores Præceptoris monitûs *μηδὲν εἰκῆ*, *μηδὲν ὑπερορᾷν*, conſulamus prius alios Scriptores marinos, examinaturi num idem, vel contrarium, illi experti ſint, antequam Walterianum axioma, aut amplectemur, aut repudiemus.

Quod

Quod mihi primum occurrit, est Diarium *Jacobi Quartier*, qui jussu Regis Christianissimi *Francisci* I.; anno 1535. Americam Septentrionalem lustrans, hybernare cogebatur ad ripam fluvii *Canadæ*, prope locum nunc dictum *S. Crucem*; Nautarum ingentem stragem hic Scorbutus fecit, universalem brevi facturus, nisi incolæ ipsis indicassent arborem *Anedda*, cujus & cortice & foliis plurimi reconvaluere. Doctus scriptor A. *Montanus*, qui nobis hujus Diarii copiam fecit, in sua *Americæ Borealis Historia* nihil attulit lucis, ut cognoscamus arborem: nec licuit apud *R. P. Hennepin*, apud *Denis*, apud *Martiniere*, aliosque, qui Regionem illam peragrarunt, aliquam ejus descriptionem invenire. Nec in Doctissimi, ac Nobilissimi Consiliarii, & Professoris, *Nicolai Jacquin*, *Historia Stirp. Amer.* aliquid habetur,

cum

cum ad eam in America latitudinem non pervenerit. Hinc ad alios, qui nobis nota magis antiſcorbutica ſuppeditarint, nos conferamus.

In pluribus Diariis variarum Claſſium Navalium, quas ſub finem ſæculi 16. ſive Reſpublica Batava, ſive Urbium Batavarum nonnullæ, ſive denique Cives ditiſſimi, miſerunt ad viam tentandam, juxta *Muſcovicam* ac *Tartaricam* oram, in *Chinam* ac *Japoniam*, ſtrages nobis occurrunt, quas edidit ſcorbutus miſerandas; eo quod expeditione qualibet infortunato admodum ſuccedente, vel complures Naves inter perpetuas atque inſuperabiles glacies, monteſque glaciales, naufragarentur; vel Nautæ itineris tœdio, longitudine, periculo, confecti, proprios demum lares repeterent; vel in *Nova Zembla*, aut alibi, hybernare coacti, una vice ad unum usque

per-

perirent omnes, alia vice ex *Nova Zembla* in binis apertis ſcaphis, ex nave majore, glacie confracta, compoſitis, iter 400. milliarium in pelago errantes conficerent, donec demum ad extremam *Ruſſiæ* oram appellentes, inde in Patriam, ex toto numero duodeni, redirent. Non immorabor aliis Diariis, quam his, quæ ad ſcopum faciant.

J. van Linſchoten in Itinerario anni 1594. refert ſe appuliſſe in locum, quem *Waygat* appellant, alii *Naſſovicum Fretum*, menſis Junii 27. ibidemque detexiſſe inter gramina, aliasque herbas, *Cochleariam* copioſiſſimam, Scorbuticorum illuc appellentium tutiſſimam refectionem.

Diarium duodecim illorum, quos retuli, poſt hybernationem in *Nova Zembla*, in Patriam rediiſſe, refert

il-

illos anno 1597. in insulam ignotam conscendentes, præ gaudio exclamasse ad visam primo Cochleariam, eoquod fere cunctos Scorbutus reddidisset pene immobiles; inde non comedendo, sed continuo vorando, se percepisse, non modo veras esse, quæ Cochleariæ in Patria laudes darentur, verum etiam omni illam laude superiorem; quandoquidem celerem adeo mutationem perciperent, ut, paucis post diebus, panem biscoctum denuo masticare, quod dolentes gingivæ, dentesque vacillantes, ante nequivissent, commode inciperent.

Data hæc exempla monstrant Scorbutum curatum Cochlearia: unde forsan quis suspicabitur Scorbutum frigidum, sive acidum fuisse, hincque herba alcalescente & calida sublatum; talem vero, si acida & acescentia antiscorbutica Regio dedisset, non mo-

do non curatum, ſed in pejus verſum, imo letalem fuiſſe redditum.

Reſpondebunt nautæ iidem. Scorbutus redierat dum promontorium *Wardhus* petituri, multum in fluctibus aberaſſent. Appulere demum ad extrema borealia *Lapponiæ* in portum *Cola* vocatum, intimiusque ſe penetrantes, Baccas *Rubi* copioſiſſimas deprehendere, quibus affatim comeſtis a Scorbuto convaluere omnes.

Fructus acido-dulces copioſiſſime comedentes, curantur a Scorbuto iidem ipſiſſimi homines, quos antea eodem in itinere, eodem in climate, eodem cum victu, Cochlearia curaverat. Quid ergo de natura Scorbuti ſtatuendum? Acida & Alcalina curarunt ſaltem eandem Scorbuti ſpeciem.

Rubi copia ingens, ingens & Cochleariæ per boreales omnes regiones:

nes: in omnibus itinerariis utrumque describitur, & ad Scorbutum ex æquo laudatur. *Denis*, quo tempore in *Canada* habitabat, Rubum ubique invenit tam copiosum, ac fertilem, ut qui suis de pratis eradicare vellent, non possent.

Anno 1615. 1616. 1617. *Guillelmus Cornelii Schouten*, Hoornanus, quo novas, transvecto freto *Magellanico*, terras detegeret, australem orbi partem circum navigans, refert cum tædiosi itineris longitudine, tum diversi generis commeatûs, aquæ bonæ potissimum, penuria, potiorem Nautarum partem Scorbuto affectam esse; tentasse se dudum hinc inde insulam ut detegeret, & in continentem descensionem faceret ægrotantium; sed frustra. Scapha demum littus aliquod attingente, nautas Herbam detexisse *Nasturtio Hortensi* similem, eamque

dein adhuc copiosiorem in Insula dicta *aquosa* ad 12. gr. lat. aust. Coctis inde pultibus abundanter comestis, Scorbuticum nautam adeo levatum se percepisse, ut Herbæ vires haud potuerint satis mirari.

In Diario Classis navalis dictæ *Nassovicæ*, quæ undecim Navibus constans, Architalasso *Jacobo Eremita*, ab anno 1623. usque ad 1626. vecta circum orbem est, nullas in principio detegimus Scorbuti querelas; causa videtur Limoniorum abundantia fuisse, quæ tanta nonnunquam, ut abuterentur, & ut Classis primo anno numeraret 42. suorum Dysentericos inde periisse. Postmodum vero, ut in longis solet tœdiosisque itineribus, Scorbuto aliam post aliam navem petente, deviando continentem quærere decretum fuit in Procerum consilio, Limoniorum quærendorum, aliusve

ve remedii antiſcorbutici gratia: at vero nulla inſula detecta, de ſervanda claſſe ob Scorbuti immanitatem deſperatum eſt. Detegunt tandem Inſulam *Annabon* ad gr. III. lat. auſtr. Nautæ & in inſula Aurantiorum pomorum copia incredibili repleverunt ſeſe, & bis centum millia eorundem ſecum in Naves induxere. Ex eo tempore nulla Scorbuti in Diario mentio fit.

Scorbutus igitur natus in plaga mundi auſtrali, curatur antiſcorbutico calido, Naſturtio Hortenſi; curatur antiſcorbutico frigido, pomis Aurantiorum & Limoniorum; eodem prorſum modo quo antea vidimus Scorbutum borealem integre curari calidis Cochleariis, & frigidis Rubis.

L. F. Haan, in Hiſtoria *Freti Davidis* plagam Occidentalem in *America Boreali* notat, ut in qua creſcat ſpe-

cies Rubi, humi repentis, fragorum ſapore grati, copioſiſſimi. Deinde totam Regionem deſcribens, arbores ferre eam nullas ait, ſed aliquas Frutices, & baccas ceruleas, ſimiles Juniperi in *Norvegia* Baccis: tum & copioſiſſimam *Lactucam*, quam ibidem *Groenlandicum acetarium*, vocant, & *Acetoſam*. Hæc Lactuca & Acetoſa pro incomparabili Antiſcorbutico habentur, ut refert; ita ut iisdem plurimum veſcentes, incredibile quam cito, & integre, convaleſcant.

F. *Maartens*, Chirurgus navis *Hamburgenſis*, in Diario ſui itineris in *Spitzbergen*, & *Groenlandiam* ſuſcepti, inter cæteras plantas meminit *Cochleariæ* quam ibidem pro ſcorbuto, copioſiſſimam, & ſapore gratiorem, & in Acetariis vehementer amatam, notat.

Joannes Egede, Danicus per 16. annos Miſſionarius in *veteri Groenlan-*

dia,

dia, refert cap. 3. „ præstantissimam „ viribus *Cochleariam*, incomparabile „ adversus scorbutum remedium, co- „ piosam ubique ad oras maritimas „ reperiri, sapore autem haud acrem „ ita, amaramque, quam in regio- „ nibus temperatioribus. Stupen- „ das cæterum per eandem se curas „ vidisse.

Anno 1721. a Societate Indiæ Occidentalis Batavæ missæ tres Naves, ut novas Regiones ad gradum Lat. Austr. 56. quærerent, eruditum habent hujus expeditionis diarium, cujus in capite 7. hæc de Scorbuto leguntur. „ Aprilis 27. altitudinem attigera- „ mus graduum 23. min. 2. Lat. „ Austr. Hic demum incommoda, diu „ observari cepta, quæ illos, qui „ longa itinera mari conficiunt, in- „ sequi solent, nos gravius preme- „ bant. Quantus enim cumque Com-

 „ mea-

„ meatus nobis datus eſſet, minue-
„ batur tamen, ita ut quotidianæ
„ portiones, ne tandem deficerent
„ penitus, indies parcius diſpenſa-
„ rentur. Quin & Panem, cum com-
„ munem, tum biſcoctum, ſitus cor-
„ ruperat, quemadmodum & reli-
„ quum, qui inſuper vermibus ſca-
„ tebat, commeatum. Percepta quo-
„ que & aquæ ſenſim creſcens penu-
„ ria; quare & parcius illa Nautis
„ cepta dari. Tandem & ipſa fæ-
„ tida ac verminoſa, non ultra fuit
„ ad ſitim idonea, nec ad humectan-
„ da corpora, quæ enormis calor
„ exſiccaverat, apta, nec utilis ad
„ deperditas illorum vires reſtauran-
„ das.

Præter cæteros morbos, Scorbutum inde deduxit, naſci ſcilicet illum oportere ratus, eo quod ſicca eſſet ac ſuffocans in mari Atmoſphæra, quod ſa-

ſalita alimenta corrumperentur, quod potabilis lympha deficeret, noctesque præprimis gelarent. „ Signa, „ ſcribitur in Diario, morbi prima „ manifeſtantur ad Gingivas, haud „ tumidas duntaxat, ſed & nigras „ ac putridas; hinc fœtens anima, „ hinc corrupti dentes vacillantesque „ adeo, ut nedum navalem, verum „ etiam nec alium quemcumque „ cibum, manducare queant. Inde „ porro per univerſum corpus morbus vagatur. Ad crura, ad brachia, ad alias partes, maxime vero ad genu, patellam, Maculæ viſuntur, pulicorum morſibus ſimiles, rubræ, purpureæ, lividæ, nigræ, una cum articulorum doloribus. Poſthac brachia, coxæ, femora, hinc inde tument; livida ſic aut nigra, quemadmodum alias a contuſione fit. Palata videre eſt,

„ quibus frusta veluti crassæ corru-
„ ptæque carnis adhæreant, die a
„ chirurgica ablatione altero rena-
„ scentia. Multorum cernas horri-
„ de tumidos vultus. Accedunt de-
„ mum tremor, palpitatio cordis,
„ tensio ventris, miseranda artuum
„ contractura, vehemens sæpe dolor,
„ & morbo penitus irradicato, mors:
„ non ita quidem ut omnia hæc sym-
„ ptomata eundem hominem impe-
„ tant; nam ad interimendum suf-
„ ficiunt pauciora.

Remedia deinde prosequutus, Cochleariam quidem præstantem esse censet, sed recentem tantummodo, haud vero in spiritum evectam; cum is, inquit, calidior existens, tenuiora dissipet, figat crassiora. Cæterum in longis itineribus nihil reperiri præstantius, quam in continentem descen-

de-

dere, quo ægri ſereniore aura aliquantiſper veſcantur.

„ Vix fari datur, inquit, quan-
„ tum marinum hunc morbum aer
„ mutet, emendetque, campeſtris;
„ ac quantopere ſimplices *herbæ pra-*
„ *tenſes*, ipſumque vile adeo habi-
„ tum *gramen*, vires exerceant cu-
„ randi valentiores illis omnibus, quæ
„ ut decantata remedia laudentur.
„ Miror ſane Medicos illos, qui na-
„ ves, quæ ſua conſilia obſervent,
„ a ſcorbuto immunes fore obfirma-
„ ta fronte aſſeverent. Etenim quæ
„ eorum remedia ad efficaciter præ-
„ ſervandum alia, quam illa, *quæ*
„ *ipſiſſima in longis deſiciant itineribus*?

Inter medias has miſerias Inſulam detegunt ad gr. 15. Lat. Auſtr. cujus nigri incolæ inſulæ afferunt producta: Nuces ſcilicet *Kokos*, & quandam herbam abundantiſſimam, ama-

re-

reſcentem, ſimilem per omnia *Naſturtio hortenſi*. Incredibile, ait, quantopere inde reficerentur omnes; ita quidem ut, licet lapidibus fere obruti ab Inſularibus fuiſſent, ni fugam capeſſiſſent, inſulam tamen *Refectionis* appellarent; quo nomine eandem poſthac in Geographicis Mappis decoratam deprehendimus. Eſt in eadem fere altitudine cum inſula ſupra dicta, ob inventas a nautis aquas *Aquoſa vocata*, in qua eadem herba & copioſiſſima deprehenſa eſt, & mirifice antiſcorbutica.

Anno 1719. Navis *Barneveld*, poſt infortunatos per immenſum pelagus errores, appellens tandem ad ampliſſimam inſulam *Madagaſcar*, ad oram *Africæ* occidentalem, Nautarum 120. ſcorbuticos in Littus duxit, ſub tentoriis locavit, & poſt 14. dies pleroſque iterum ſanos in Carinam rece-

cepit, nullo adhibito remedio præter ſpeciem *Nymphææ*, quam in aqua copioſiſſimam invenientes, tum juribus incoxere, tum more Acetariorum comederunt.

In itinere circum Orbem univerſum *Guillielmi Dampier* legimus, qua ipſe vehebatur, navem depoſuiſſe ad Promontorium *Bonæ ſpei* ſuos Scorbuticos, eo quod ibidem quocumque *fructuum olerumque* genere plerique brevi ſoleant convaleſcere. Non addidit Autor numerum ſcorbuticorum, qui in hoc promontorium depoſiti fuerant; ſed convaluiſſe refert omnes, quatuor duntaxat, qui omnium peſſime in Nave habuerant, exceptis.

Famoſiſſima Scorbuti curâ eſt Inſula *Sanctæ Helenæ*, inter 15. & 16. Lat. Auſtr. gradum. „ Raro fit, inquit *Dampier*, quin ſcorbutici hic „ amiſſam dudum recuperent ſanita-

„ tem.

„ tem. Fert Insula hæc herbas opti-
„ mas ; unde balneis per Insulanos
„ adornatis rigiditas, immobilitasve
„ cruris percuretur : a suo autem
„ scorbuto fructibus, oleribus, re-
„ centioribus alimentis, cito liberan-
„ tur ; ita quidem, ut qui pensili
„ lecto ex Navi in Continentem du-
„ cti fuerant, elapso octiduo pedibus
„ incedant, imo saltent: juvat vero
„ aura serena.

In tædioso itinere ex *Nova Hollandia* ad idem Promontorium, homines scorbuticos primum 20. perdiderunt; deinde vero morbo aucto, auctis itineris tœdiosi laboribus, putridaque existente ad bibendum aqua, misere omnino cum nautis agi ceptum. Interim Navis præfectus, magnam in navi possidens *Tamarindorum* copiam, jussit definitam cuique ad prandium por-

portionem cum Oryza dare; id quod omnes multum reficiebat.

„ Porro ita commune omnibus, „ ait, malum erat, ut vix exiſteret, „ quem immunem diceremus; ma- „ lum ſubdolè ſic obrepens, ut ipſi „ nos vix perciperemus ægrotantes, „ vixque dolentes; ſed debiles qui- „ dem & inappetentes: ſubdolè, in- „ quam, ſic, ut plurimis eorum, qui „ morti adpropinquarent, vix ſuade- „ ri poſſet ſuo manerent in penſili „ Lecto, donec demum immobiles „ redderentur: quando vero ſe lecto „ immobilitate affixos cernebant, con- „ debant teſtamentum, haud ultra „ biduum, triduumve, calamitates „ protracturos ſe certi.

§. III. Ubique quæ de ipſa Morbi deſcriptione & ſymptomatibus Diaria habebant, in mea relatione collegi, ut conſtaret marinum illum ſcorbu-

tum,

tum, in nonnullis ſyptomatibus, alia atque alia in nave, differentem, tamen præcipuis in rebus ſic convenientem eſſe, ut ſcorbutum putridum vere referat; conveniatque omnino cum eo ſcorbuto, quem terricolæ habent: ita ut idem prorſum morbus eſſe appareat terra marique.

Subdolum hunc morbum lævius gentem borealem afficere obſervamus, ex quo tellus multis in locis ſit reddita ſiccior; aggeribus ſic adornatis, ut externæ aquæ ſecludantur, liber internis concedatur effluxus: ex quo ædes ſic ſuas conſtruxerint, ut minus humeſcant intus, ac liberiore perflentur aëre: ex quo durioribus alimentis plura ceperint molliora interponere, ſic ut dies nulla tranſeat, in qua variis lactucis, oleribus, fructibus, non veſcantur; crudis, coctis, elixis, toſtis: ex quo Aſiatici aliàs

no-

noxii, potus; ſic ſaltem *Boerhavii* ſententia erat; corpora ab acrioribus, diluendo, magis liberarint: ex quo tandem ſe contra cæli inclementiam firmioribus veſtibus muniverint. Quin & cæteris paribus, vita laborioſa admodum, in eadem regione boreali, ſub eodem victu & aëre, immunes omnino a ſcorbuto, aut levius ſaltem affectos, præſtat Aratores, Fabros ferrarios, lignarios, &c. interea dum Textores, Sartores, Sutores, Pictores, Phrigiones, Viri Litterati, graviſſime afficiuntur.

Examinandum eſt undenam ſcorbutus in navibus? ut pateat num vel hæc, quæ terricolis mitiorem reddiderint, vel adhuc alia, Maricolarum quoque mitigare tollereve ſcorbutum queant?

An igitur 1mo ab aëre marino, ita ut ex mari quidquam exhalaret, quod

aëri commiſtum, ipſum ſæpe redderet Reſpirationi ineptum, & ad ſcorbutum generandum aptum, ut quorundam opinio fert?

An 2do ab humidiore ſemper athmoſphæra?

An 3^{tio} a ſalitis?

An 4to a penuria vegetabilium?

Ut primo generalem reſponſionem ad hæc omnia, deinde ad ſingula propriam, adornem, dico has quatuor cauſas ita univerſales eſſe, ut ex æquo omnes in nave afficiant, Gubernatores majores, minores, & Claſſiarios vulgares. Conſtitit vero univerſali obſervatione claſſis *Anſonianæ*, aliorumque, nautas potiſſimum ſcorbuticos eſſe, minus eſſe præpoſitos minoris ordinis, adhuc minus præpoſitos majoris ordinis, omnino nihil fere Præfectos ſupremos. Cum igitur quatuor hæ cauſæ omnes ex

æquo

æquo afficientes, non omnibus ex æquo ſcorbutum crëent, haud videntur ejus cauſæ appellari poſſe.

Doctiſſimus *Lind*, qui de Scorbuto Tractatum Hiſtorico-dogmaticum erudite & practice ſcripſit, dum examinat an ſalita ſcorbutum crëent? egregie reſpondet non videri, quum ſal a putredine ea præſervet, quæ cæteroqui in putredinem proclivia ſint: cum 2do diuturniore tempore aqua marina, dira neceſſitate cogente, pota, ſcorbuticis haud nocuerit: quod tertio ſalita viſa ſint homines ab eodem præſervaſſe.

Obſervatum quippe fuiſſe, dum naves *Anglicanæ* cum *Batavis* conjunctæ, ſtationem diu peragerent, ne portu ſolveret *Gallica* Claſſis, *Anglos* ſcorbutum corripuiſſe, non corripuiſſe *Batavos*: cauſa quæſita, conſtitiſſe id, quod Claſſiariis *Batavis* bis in ſepti-

mana ex Braſſica ſalè condita pararetur prandium, *Anglis* vero minime: cæterum in omnibus idem utrisque regimen contingere.

Pergit Doct. *Lind* docere non eſſe, qui ſcorbutum faciat, ſalem marinum. Scorbuto affici ceptis, inquit, mox omnia ſalita auferuntur; attamen morbus pergit, & furit. Præterea ſcorbutum natum oſtendit, non niſi recentibus carnibus veſcente nauta. Sic *Anſonii* claſſi, *Mexico* recedenti, inter medias recentes carnes morbum natum: *Cæſarias* Legiones, Cl. *Cramero* notante, cum Carnium recentium abundantia; *Ruſſicum* exercitum, referente *Nitſchio*, ſalitis carentem, in turpes incidiſſe ſcorbutos.

In quæſtione porro de Vegetabilibus, merito occinit Doctiſſimo *Bachſtrom*, in eo, quod & ad præveniendum, & ad curandum, ſint egregia:

id

id urbes obſeſſas, id *Hollandorum* Braſſicam confirmare lubens fatetur : attamen cenſet etiam hanc *Bachſtromii* eſſe limitandam ſententiam.

Quod enim 1mo de urbibus obſeſſis conſtitit, id in multis aliis obſidionibus, ubi ſimiles cauſæ exiſterent, non ita conſtitiſſe. 2do In media Vegetabilium abundantia ſcorbuticos effectos eſſe Claſſiarios.

Exemplum terribile affert, quod egregius *Huxham* confirmat. Dum Claſſis navalis Architalaſſi *Martin* in Freto Gallicano diu obſervabat Claſſem Gallorum, in ſumma abundantia Vegetabilium omnium & optimarum aquarum, tanto afficitur Scorbuto, ut inter 4000. Claſſiarios 400. numerarentur miſerrime affecti : ſic ut Doctiſs. *Huxham* cernens redeuntem in *Pleymuti* portum Claſſem, graphice ac lamentabiliter conditionem deſcri-

pserit ægrorum. Unde Cl. *Lind* defectum Vegetabilium, scorbuti feracem, non nisi causæ occasionalis vice fungi putat.

Sed ut certius, quid de Scorbuto proferatur, quid causæ est, quod plebs navalis infima hoc morbo maxime laboret? minus, aut vix Proceres? 1. Proceres navis & præpositi nautarum habent mutatorias vestes, ut madefactas exuere, siccas induere queant. 2. Lectos suos pellibus animalium munitiores adversus frigora, quam plebeii, habent. 3. Omnes suas vestes habent Præpositi, quam Classiarii, crassiores, arcendo frigori aptiores. 4. Habent Navium Gubernatores, & supremi Ministri, Tamarindos, Aurantiorum ac Limoniorum poma, horumque defectu varia Limoniorum genera muria condita, succum Limoniorum qui in doliis,

&

& melius adhuc in lagenis diu ſervari poſſit, conditas ſale Braſſicas, Rapas, Phaſeolos, Endiviam &c. Vina, Cereviſias lupulatas, &c. hæc omnia ſimul ſumta & non Vegetabilia ſola, concurrere videntur, quo minus Navium Proceres hoc morbo affligantur.

Vita laborioſa nautarum an non deberet illos eximere potius a Scorbuto, ita ut minus eo, quam Proceres, laborarent?

Si ſolus labor exercitus Scorbutum præcaveret, labor neglectus conciliaret, utique nautæ eſſent ab eo Proceribus navis exemtiores; ſed ut, non obſtante ſua vita laborioſa, magis tamen Scorbutum contrahant, plures inevitabiles ipſis cauſæ, evitabiles Proceribus, efficiunt; ut jam vidimus.

An Machina *Suttoniana* apta non eſt, ad Scorbutum præcavendum in Navibus?

Juvat ad aëra puriorem reddendum, ac renovandum; in eoque ſane egregia nautis eſt: ſi autem humiditate diuturna peccet aër, nil Machina juvat; cum pluvioſa tempeſtate expulſum aëra humidum, humidus ſubſequatur. Unde graviſſimus *Anſonio* Scorbutus, *Mexico* redeunti, & omni genere abundanti Vegetabilium. Pluviis ſaturo aëre explente naves, nulla dies ſerena illuxit, qui navem permitteret ſiccari. Venti interim & procellæ ſpumantes undas in naves invehebant, nautas reddebant madidos & frigidos. Cum nunc inter cauſas occaſionales nulla ſit aëre humido ac frigido pejor, cum is diuturniore tunc obtineret tempore, Scorbutum peſſimum naſci oportuit.

Ex cunctis liquet victum corruptum, aëra humidum ac frigidum, veſtes tenues & humidas, humidos

te-

tenuesque lectos, Vegetabilium ſucculentorum defectum, animi mœrores ac tædia longi itineris, unà concurrere ad Scorbutum generandum; aëra humidum ac frigidum, cum veſtibus & lectis nautarum frigidioribus, Scorbutum creare poſſe in media Vegetabilium opulentia; Vegetabilium defectum ſolum ſine humiditate & frigore & mœroribus, vix creare Scorbutum, ut optimus *Lind* in *Scotiæ* Montanis incolis, & in *Finnis* evicit.

§. IV. Ex mirandarum curarum collectione conſtat illas peractas eſſe herbis calidis, & frigidis; alcaleſcentibus, & acidis: *Cochlearia*, *Naſturtio*, *Braſſica*, *Cæpis*, *Nymphæa*, *Lactuca*, *Acetoſa*, *Rubi baccis*, *fructibus Tamarindorum* aliisque, maxume pomis *Aurantiis*, *Citreis*, ac *Limoniis*: quovis *graminum* genere: nec non qui-

busvis ſucculentis *Vegetabilibus* : *Vino*, *cerevisia*, *aceto*.

Quamvis remedia, quæ morbum curaverint, oppoſitæ ſint Naturæ, Scorbutus tamen navalis, Symptomatibus deſcriptus ſuis, unius modo ſpeciei fuiſſe apparet; maxime id concludere licet ex curatione eorundem hominum primo per Cochleariam, deinde per Rubi baccas; ut ſupra conſtitit.

An vero Cl. Viri *Pringle* experimenta, aceſcentis Cochleariæ, dum chemicis quibusdam operationibus eandem exponebat, præcipuam difficultatem haud tollant, docendo unicum Scorbuti genus unico medicamenti genere curatum eſſe?

Si hæc experimenta aliis clarioribus elucidentur, lubens Viri Doctiſſimi ſententiam amplectar: verum ne huc usque amplexus ſim, me alia ex-

pe-

perimenta remorantur. De acore in ipsius experimentis ex Cochlearia percepto, ideo non concludo acidum in Cochlearia adesse, quia didici propriis experimentis, dum alcalina vegetabilia, dum ipsa jura carnium, certum quendam corruptionis gradum consequuta, quid acidi redoleant, id fugax acidum, licet syrupo Violarum detectum, ideo non docere naturam rei acidam, cum brevi post totum abeat in alcalinum. Ergo vix video, cur, ob fugax tale acidum, credamus & alcalescentia vegetabilia, & jura carnium, in corpore humano ut acida agere? Equidem in experimentis clarissimi Viri alcali volatile Cochleariæ avolavit multum, indeque natura herbæ alcalina vehementer mutata est; sed an mutata tota? An mirandæ curationes putridi scorbuti, ægris, Armentorum instar, crudam

de

de pratis herbam vorantibus factæ, præsens non habuere alcali, idque copiosum? Deinde in Pringleanis sufficiens distinctio inter fermentationem & putrefactionem desiderari mihi videtur. Desiderari etiam arbitror debitam distinctionem putrida inter & alcalina. Putrida multa cum acidis non effervescunt, donec certum adipiscantur putredinis gradum, quo fiant alcalina. Necdum etiam mea experimenta me convicere de vera putredine, etiam nondum alcalina, in vivente corpore animali. In tot morbis putridis, etiam conclamatis, dum sanguis vena tusa eductus, aut aliunde effluens, examinatus est, nunquam, ne in pessimis quidem variolis, putredinis signa vel minima mihi dedit. *Mortono* putridus sanguis de vena exiliens descriptus, ob raritatem hic vix memorandus est. Et de-

demum non datur in tota Chemia machina, quæ utcumque Machinæ humanæ ſimilis ſit: Comparentur alimenta & potulenta cum excretis ſecretisque omnis generis, an huic ſimilem poſſideat Chemia machinam? Unde donec Clari, quem veneror, ſemperque venerabor, Autoris, experimenta elucidentur, cochleariam, naſturtium, allium, &c. vocabo calida alcaleſcentia, imo alcalina Antiſcorbutica.

Nunquid ergo in Vegetabilibus, præter prædominans acre, aliquid aliud eſt, quo ſic operentur, ut acre illud nihil obſit, & illud aliud, quidcumque demum ſit, curam ſcorbuti peragat totam? Foretne vis eorum ſaponacea? an aliquid aliud?

An non his, qui ſaluti publicæ vi muneris coguntur invigilare, incumbit ut ſupremæ poteſtati ea indicent, qui-

quibus horrendus hic morbus præveniatur? Et an inter hæc Consilia etiam hoc salutare non suadendum, ut loco tantorum vegetabilium siccorum, parentur in doliis succulenta vegetabilia omnis fere generis sale condita, ut nunc pauca modo parari solent? Si Viri Clarissimi *Poissonier* aquas marinas levi negotio potabiles reddendi succedat conatus, laudes merebitur æternas.

An ad stupendas & celeres scorbuti curas plurimum non contulit aura serena, in quam ex navi deducti scorbutici inducerentur, & qua compluribus fruerentur diebus?

Purus, siccus, tepens aer, partem medicinæ in his expleverit necesse est, dum humidus frigidusque aër symbolam adeo magnam morbo generando contulisset: sed absoluta talis puri sicci tepentisque aëris necessitas

non

non demonſtratur ex eo, 1mo quod ægri ſæpe jacuerint in Littore ſub tentoriis, ubi certo & humidus aer, & frigidus ſæpe eſt. 2do quod plures tales celeres curæ peractæ ſint, ægris in continentem non expoſitis, verum nave detentis. Curam vero fortunatiorem ac celeriorem bono cum aëre expectare oportet.

§. V. Quid demum cauſæ, quod marini ſcorbuti, ejusque peſſimi, ſæpe tam celeris, atque perfecta cura fuerit; quodque terricolarum ſcorbutus curam noſtram toties diuturnam, laborioſam, ac ſæpe impoſſibilem arguat? An doſis eſſet Medicamentorum, quam ad guttulas, ad cochlearia, ad vaſcula aliquot Nucthemeri ſpatio evacuanda, præſcribimus; interea dum Hiſtoria marina homines curatos oſtendit illos, qui vegetabilia cruda integris manipulis, qui po-

ma

ma aurantia & limonia denario numero, qui præterea herbas & fructus, coctos, elixos, assos, juraque eorum, ad victum sic adhibebant, ut nulla re alia vescerentur?

CAPUT V.

DE MACHINA AD CURANDUM ILEUM DESPERATUM.

§. I. *Communicantur duæ Epistolæ agentes de Machina, nuper in* Italia *excogitata, qua tres homines, Ileo desperato laborantes, integræ sanitati brevi restituti sunt; referentes quoque facta in canibus cum eadem experimenta.* §. II. *Traduntur novem mea experimenta cum hac Machinæ capta; qua occasione etiam phænomena, quæ circa Vermium in corpore animali domicilium, & circa Vitales actiones, obser-*

servabantur, noto. §. III. *Quatuordecim Corollaria tam Theoretica, quam Practica, ex dictis deducta.*

§. I. ERuditissimus ac solertissimus Medicus *Joannes de Videmar*, celeberrimus *Mediolanensis* Practicus, ad promovendam Medicinam natus, jam pluries de ejusmodi Machina ad me scripsit, quæ excogitata in *Italia*, ad desperatum Ileum morbum, præsente jam vomitu stercoreo, solvendum pluries admota, nonnullos homines mortis faucibus eripuisset, eosdemque spatio incredibiliter parvo reddidisset sanitati.

Primæ ejusdem Literæ ad me datæ XII. Kal. Jan. 1762. sic se habent:
„ Machinam, de qua alias sermo fuit,
„ a Domino Physico *Molinari* huic no-
„ stro Fabro *Laurentio Mazzoni* de-
„ mandatam, istuc brevi deferen-
„ dam intelligo; ita binas alias histo-

„ rias, ad eam ſpectantes, quæ bis
„ fortunatum obtinuere eventum, ti-
„ bi communicatas volo; eaque ſi-
„ mul in Denatis per me capta ex-
„ perimenta coram Archiatro *Van-*
„ *delli*, ejusque nepote D. *Dominico*
„ *Vandelli*, ut de ejus uſu certiores
„ apud Litteratum orbem rationem
„ reddere queamus. Et primo:

„ Ruſtica mulier toroſa, quartum
„ agens luſtrum, poſt magnam ſal-
„ ſamenti, fructuumque horæorum,
„ ingurgitationem, quatuor milia-
„ rium iter ſuſcepit. Domum re-
„ dux doloribus *ad ileum dextrum* ve-
„ xatur, cum abdominis intumeſcen-
„ tia, vomitu, anxietatibus: nihil
„ profuere Enemata ſæpius applici-
„ ta, nihil iteratæ V. S. nihilque fo-
„ tus emollientes, & oleum Lini ma-
„ gna ſatis copia epotum; ita *ut ad*
„ *octavam diem* increbeſcentes, jam-

„ jam-

„ jamque morituram proclamantes, „ ut transferretur machina, conſcii „ ſuadeant nonnulli: qua applicata „ magna tepentis aquæ copia quatuor „ dierum ſpatio, ſed per intervalla, „ injecta, mirum! dextram abdo- „ minis intumeſcentiam ſe movere „ viſum eſt, doloresque demulceri „ ceperunt, multisque brevi poſt de- „ jectionibus liberata fuit.

„ *Frater Joſephus Fidelis a Medio-* „ *lano*, Capucinus, moribundis in „ Xenodochio adſtans, quadragena- „ rius, poſt diuturnam toleratam fe- „ brem vix reconvaleſcens, in vo- „ mitum fere continuum incidit, ma- „ teriei primo aquoſæ, virideſcentis, „ magnæ copiæ, ſingultibus identi- „ dem comitantibus, nullisque trium „ dierum ſpatio ſedibus. Omnibus „ incaſſum adhibitis, fœtentes jam „ incipiebat vomere fœces. Re in

 an-

„ angusto sic posita, adstans Chirur-
„ gus & Lithotomus magni nominis
„ *Dominicus Ocelli*, machinam expe-
„ riri solitus, ad eam confugiendam
„ esse autumavit, motum peristalti-
„ cum inversum revocandi ergo. Ma-
„ nu operi admota, paulatim, sed
„ repetito, injicitur tepida: paucæ,
„ sed crebræ redduntur sedes, (qui
„ effectus machinæ hujus singularis
„ & proprius alvum crebro irritan-
„ di,) brevi cessat emesis, perma-
„ nente adhuc singultu; verum ana-
„ lepticis recreatus, integre conva-
„ luit, prout mihi retulit idem ægro-
„ tus.

„ Ad ea, quæ in denatis ipse ani-
„ madverti coram Testibus, nunc
„ devenio. Nudatis igitur Intesti-
„ nis, aqua per machinam injecta
„ paulatim præterfluere omnes Inte-
„ stinorum convolutiones, usque dum
„ con-

„ continuato per os exiret rivo, con-
„ ſpexi; ne guttula quidem in cavo
„ abdominis ejecta, intactis, etiam-
„ ſi ſatis extenſis, Inteſtinis; neque
„ tam impleta ac diſtenta inveni, ut
„ rupturæ periculum minarentur, quin
„ majori extenſioni locus foret. Ite-
„ rato periculo in Cadavere, cui Ileum
„ pone Valvulam apertum fuit, aquam
„ vix ad libram injectam per aper-
„ turæ locum exire vidimus, nihil
„ prorſum reſiſtente valvula, haud ſe-
„ cus, ac ſi nulla adeſſet: ex quo
„ vera ſcripſiſſe *Matthæum de Gradi-*
„ *bus*, *Guainerium*, aliosque, intel-
„ leximus, qui ſuppoſitoria in anum
„ intruſa, abrupto vi filo, per os
„ ejeciſſe ægrotantes nobis tradide-
„ runt; quin imo digito immiſſo in
„ Colum, deſurſum verſus absque ul-
„ la reſiſtentia in ileum tranſiviſſe ani-
„ madvertimus.

„ Nec per conſtructam Machinam „ iſtuc quantocyus translaturam ex- „ perti fuimus aliis duobus in cada- „ veribus ; hinc pari modo injecta „ aqua ultra valvulam præterlapſa „ non fuit ; ita ut non ſemper æque „ conſtructam , neque in omnibus „ æque validam eſſe fateamur opor- „ teat ; quemadmodum & *Hales* in „ canibus, aliique in hominum ca- „ daveribus Anatomici annotavere. „ Horum duorum cadaverum Inteſti- „ na ad ſpithamæ longitudinem, ſu- „ pra & infra valvulam, de induſtria „ diſſecui, atque e corpore extraxi, „ in diem ſequentem periclitaturus, „ quid inde eſſet. Injecta igitur in „ Colon aqua, in Ileum pertranſiit; „ minime miratus ſum , eo quod par- „ tes in ſitu quandam habeant actio- „ nem, quam non retinent divulſæ, „ quemadmodum partium uſus in de- „ natis valde laceſſitur.

„ In

„ In vivo cane de induſtria para-
„ to iterum periculum fecimus, in
„ eoque facillime tepidam omnes In-
„ teſtinorum anfractus, ad Pylorum
„ uſque, pervaſiſſe vidimus. Ex
„ quibus patet Inſtrumentum hoc nul-
„ lum neque in vivis conatum infer-
„ re poſſe; eo magis, quia dum ſa-
„ tis eſt, injectio de ceſſatione admo-
„ neat, atque extracto tubulo imme-
„ diate poſt rejiciat aquam. Hæc
„ de Machina ſatis.

In ſecunda Epiſtola data *Mediolani* ſept. Kal. Jun. 1762. ſic ſcripſit:
„ Habes hic annexam delineationem,
„ atque deſcriptionem Machinæ, cly-
„ ſteris vice adhibitæ. En caſus!
„ Mulier fere quinquagenaria, coli-
„ cis doloribus quatuordecim dierum
„ ſpatio vexata, nihil prorſum per in-
„ feriora emittens, omnia evomebat;
„ incaſſum adhibitis Clyſteribus emol-

„ lientibus, acribus, ipſoque Tabaci „ fumo, atque oleo amygdalino cum „ Hydrargyro deglutito, nec repe- „ titis V. S. ac balneis, levari potuit. „ Ipſo momento, quo Machinæ ope „ injecta fuit ſaccharata aqua, tot „ dejecit prædura ſcybala, ut vix „ credi poſſit; quibus exacte inſpe- „ ctis, præmulti uvarum acini, jam „ multis menſibus retro comeſti, re- „ perti ſunt.

„ Verum quidem eſt, quod mulier „ hæc multos ſuſtinuit labores in aquæ „ violenta injectione, quemadmodum „ optime notat Exp. *Hales* in Hæmaſt. „ Exp. 25. ac parum affuit ne in ani- „ mi deliquium laberetur in fœcum „ dejectione; aſt analepticis robora- „ ta, in diem ſequentem injectione „ iterata, iterumque interpoſitis ali- „ quot diebus repetita, optima nunc

„ frui-

„ fruitur valetudine, quæ iliaco mor-
„ bo mori proxime videbatur.

„ Haud absimilis ei hæc machina
„ est, quæ ad extinguenda incendia
„ apud *Martin* describitur, in *Gram-*
„ *matica scientiarum.*

„ Jam in cadavere Machinam hanc
„ experti sumus, vidimusque aquam
„ ad Pylorum usque adscendisse; ast
„ ignoro usque dum, an in omnibus
„ cadaveribus hoc eventurum sit? Re-
„ petitis experimentis te commone-
„ faciam. Dubium tamen est an,
„ posito quod æque eveniant in om-
„ nibus demortuis, in vivis pari mo-
„ do eventura sint, (quemadmodum
„ & tu notas super *Halesiana* experi-
„ menta,) majorem propter *Tulpia-*
„ *næ* valvulæ vim in his, quam in
„ illis.

„ Clarissimus *Hales* loco citato, &
„ tu quoque in capite *de Tympanitide*

„ *& Ileo morbo*, Medicos admones
„ ut hujusmodi casibus enemata ex-
„ cogitent tantarum virium, quæ In-
„ testinorum obices tollere possint.
„ Hæc tibi communicata historia sa-
„ tis evincit, quantæ sit efficaciæ si-
„ milis aquæ injectio.

His ita a dignissimo Viro perceptis curavi mihi juxta delineatam calamo effigiem Machinam ejusmodi parari: quam Tabulam lubenter communicaturus essem, si in actis *Bononiæ*, aliusve Italicæ Eruditorum Societatis, non prostaret brevi; & nisi, ut ante monitum est, fere similis haberetur in *Martini Gram. Scient.*

Die Martis 28. hujus anni, primum experimentum in Nosocomio fecimus in Cane viva, mediocris magnitudinis. Injecimus in tribus iteratis vicibus in intestinum Rectum Li-

bras

bras Medicas unciarum XII. propemodum ſex aquæ tepidæ.

Poſt ſingulas injectiones canis incredibili impetu aquam cum ſtercoribus ad 4. 5. pedum diſtantiam expulit ano. Has tres injectiones ſpatio horæ quadrantis abſolvimus.

Liberata Canis per 3. 4. minuta ſpatioſum cubiculum circuivit, corpus poſticum totum madidum ubique affricans. Poſtea cucurrit alacriter, bene dormivit, ſaltavit, manducavit eo, & ſeq. die.

Violenta hæc vis, qua injecta aqua ad tertiam usque vicem reſiliret, nosque injectionem ter repetere cogeret, ſuſpicionem dabat an valvula *Baubiniana* tranſitum non denegaſſet.

Unde die 29. & 30. & 31. Martii eodem modo experimentum repetivimus, eundem an effectum editurum eſſet curioſi. Et phænomena injectio-

ctionis eadem erant, & æque bona canis poſt injectionem valetudo.

Unde 1. Aprilis experimentum ſic mutavimus, ut ano bene circum ſiphunculum clausô, & cane melius intra manus firmata, Sex ad minimum libras continuata opera injecerimus. Porro dum Libræ pene quatuor injectæ erant, canis vomere cepit, primo aquam, dein cibos, vermes tandem teretes vivos. Injectione interim pergente, Vomitus rivi lati inſtar proſiliit ad diſtantiam 3. aut 4. pedum.

Vis ergo machinæ continuatior reſiſtentiam valvulæ ſuperavit.

Animus erat ilico interna examinare. Strangulavimus canem, & aperuimus. Craſſa Inteſtina modicè, tenuia minus, Ventriculus immenſe diſtentus erat.

Aper-

Apertis colo & ileo, oblongum in valvula hiatum deprehendimus.

15. Aprilis ſano ac vegeto cani unica continuata vice, niſi quod ſemel quidquam alvus reſiliret, injecimus ultra octo Libras aquæ tepidæ. Poſt injectas 5. Libras vomere cepit, pluriesque vomitum exinde repetivit. Paucis poſt minutis a ſordibus canis mundatus, ac linteo ſiccatus, hilaris ac ſanus fuit per plures dies; poſtea dimiſſus adiit ilico ſuum in vicinia herum, reditque adhuc ſæpe nos blande ſalutaturus.

18. Aprilis in cadavere humano vires exploravimus Machinæ. Sexagenario major cum calculo in Veſica in Noſocomio obierat. Veſicam cum calulo primum eduxeramus, ne utiliſſima demonſtratio, quam poſthac communicabo, turbaretur. Injecimus tunc ope Machinæ tepidam per

anum,

anum, quæ ut facilius progrederetur, inteſtina plurium manibus molliter compreſſimus; ſic tamen ut aquæ progreſſum levatis ſæpe manibus bene contemplaremur. Vidimus Inteſtina craſſa cito impleri; nonnullam quidem naſci ad Valvulam remoram, ſed brevi ſublatam; injectam aquam momento citius Inteſtina tenuia permeare; non extendi ea notabiliter; ventriculum autem valde turgidum fieri, oreque mox elabi aquam. Valvula hiabat; antequam vero perſcinderemus, ex colo aquam in ileum promovere ſatagebamus, haud æque feliciter in quovis Inteſtini ſitu: certus ac determinatus ſitus requirebatur, ut ex Cæci ſacco aqua in Ileum tranſiret.

3. Maji canem maſculum 16. menſium, fortem, nacti, experimentum iteravimus. Valida corporis contorſio-

ſione & ejulatu tres primæ tepidæ libræ vi expellebantur ano. Quo dein accuratius circum cannulam firmato, tres alias libras commode, & non interturbate, injecimus: aqua interim vomitu quidem valido, ſed eo, qui in primo cane obſervatus, debiliore, ejectabatur, cum paucis cibis, & teretibus Lumbricis, ad tertiam usque vicem.

Decreveramus etiam hunc extemplo aperire; ſed cum inde minus recte, quam priores canes, ſe videretur habere, pepercimus ejus vitæ, viſuri an quid ab operatione infortunii obſervari daretur. Aſt hora elapſa canis per omnia ſe ſanum eſſe demonſtrabat. Cum haud illepidus cuiquam placeret, qui pro ſuo magno ac vetuſtiore cane libenter eum mutaret, dedimus illi noſtrum, poſtquam per novem dierum ſpatium certiores nos

de

de ipſius perfectiſſima ſanitate reddidiſſemus.

Canem ergo majorem illum 12. Maji ad experimentum ducentes, ſpatio binis minutis breviore injecimus aquæ tepidæ 8. vel 9. Libras, quæ incepere tunc violento ſaltu, minus tamen violento, quam in primo experimento, ore exſilire. Vomitus iterum ut in prioribus ter repetierat, isque ſingula vice copioſiſſimus. Materies ejecta partim aqua erat, partim copioſa caro, partim lumbrici teretes, digitum, ſesquidigitum, longi, valde graciles, partim copioſiſſima Tenia, & gluten multum.

Apertis per longitudinem inteſtinis deteximus innumerabilium Teniarum copiam, ſic ut catena cohærentium ſibi cucurbitinorum vermium, ſive Aſcaridum planorum, hinc inde, forte per vim aquæ, fracta, plus vi-

ge-

gesies iret, rediretque per totam tenuium intestinorum longitudinem, glutine involuta copiosissimo. Lumbrici teretes Teniam concomitabantur ubique.

Peculiare in hoc cane fuit, quod Colon in medio ventre sub umbilico originem haberet, rectaque descendens, mox Rectum formaret; longitudinem igitur una cum toto Recto 8. vel 9. pollices emensum duntaxat: quale quid & in homine *Dionis* se testatur observasse. Ceterum breve hoc Colon ab injecta aqua probe elutum erat, compactas modo fœces & in ortu suo, & in magno suo processu vermiculari, gerens.

Utrique cani, quem strangulaveramus, effectum machinæ contemplaturi, laxato post apertum abdomen & thoracem fune, vita pulcerrime redibat. Quo animadverso, mox

ad actiones vitales contemplandas, reliquo examine ad tempus dilato, nos accinximus. In priore cane, aperto pericardio, cor pulsabat uno tempore æquabiliter, alio inæqualiter: vita labascente, per vices quievit & palpitavit. Levis digiti attactus momentaneam vitam reddebat. Attenti ad ultimum cordis motum, vidimus utrumque ejusdem ventriculum æquabilissime agere, & æque fortiter; idque etiam ubi post aliquantillam quietem, sive sponte, sive flatu, tactuve, suos redintegraret motus. Quo autem certiores hujus essemus, cor parum invertebamus, ut cum sinu & auricula sua Ventriculus sinister sub liberiorem conspectum caderet; unde sinistrum cor pulcerrime agere cernebamus, ut ante videramus pro parte.

Quod autem diu, distincteque, ac de industria, notabamus, vix cuspis di-

dici poterat ad basin in systole multum accedere, idque etiam a principio, dum cordis validior motus existeret, notavimus. Dicendum potius est in systole cuspidem, & latera Ventriculorum, se simul leviter contrahere.

Arteria intercostalis perscissa pulcre ostendebat velociorem illum saltum, quem arteriosus sanguis ad singulam cordis contractionem edit.

Uterque Cordis ventriculus apertus multum, sinister autem plus, sanguinis continebat.

In altero cane pericardium ægre a corde secedebat. Attenti ad omnia, vidimus clare in systole cordis basin, æque ac mucronem, & parietes, ad se invicem accedere, & cor facere se ipso minus: motus vero vitalis ad finem usque pergebat æqualiter in utroque thalamo, inverso corde, quemadmodum in cane priore,

ut cordis ſiniſtri motus apte conſpici poſſet. Tandem, quod non in Cane priore, ceſſante motu vitali ventriculorum, auricula dextra quater vibrabat, quo tempore ſiniſtra ſemel. Cor ſiniſtrum cum ſua auricula æque plenum ſanguine, quam ſua cum auricula dextrum. In ſinu dextro polypus magnus.

In utroque Canum experimento dextrum Cor non vixit ſiniſtro diutius. An quod, corde in ſitu manente, cor ſiniſtrum minus conſpicuum ſub ultimis vitæ ſcintillis mortem teſtari maturiorem videatur? Igiturne aliqua cordis inverſione opus, ut certi quid affirmemus, detegamusque errores?

In humanorum Cadaverum examine Cor ſiniſtrum ſæpe minus quam dextrum repletum inveni, ſæpe æque repletum, aliquando repletius. A Methodo ſecandi multum pendet: qui

cor

cor dextrum prius aperiunt, hi motu, pressione, evacuant cor sinistrum plus, quam aliter; qui sinistrum prius, eandem ob causam possunt dextrum inanire.

Finem Capiti huic, & simul operi, imponam quibusdam Corollariis & Problematibus.

1mo Patet in Canibus facta Machinæ operatione sic, ut aqua injecta bis, ter, cum fæcibus alvo expelleretur, vomitum non adfuisse.

2do Canes post hanc operationem minime ægrotasse.

3^{tio} Quod Vomitus non successerit, violenteque ex ano fuerit expulsa aqua, id minus videri Valvulæ resistentiæ tribuendum, quam quidem canis motui, contorsioni, clamori, elabendi conatibus.

4to Id evidenter patuisse, quando, cane prudentius firmato, injecta con-

tinuatim aqua Vomitu repetito expulsa fuerit.

5to Experimento eo uſque producto, ut violentus, repetitusque ſequeretur Vomitus, unàque cum aqua cibus, gluten, multusque tum teres vermis, tum latus; igitur eo uſque, ut vis valvulæ coli penitus ſuperaretur, ut motus periſtalticus naturalis ſufflaminatus, & ut motus antiperiſtalticus eſſet præternaturaliter auctus; experimento, inquam, ſic aucto, Canes tamen nullam inde habuiſſe, imo ne a ſæpius quidem repetita eadem actione, ſanitatis jacturam aut læſionem.

6to Canibus ſtantibus, ac quatuor pedibus ſuis ſupra menſam detentis, cum injectionem fecerimus, quæritur utrum injecta aqua faciliorem hinc habuerit, an difficiliorem motum ad os uſque? Et an ſaltem in homine ilia-

iliaco, dextrum in latus pro more verso, injectione minus succedente, situs non foret, qualem in canibus observavimus, conciliandus?

7. Et in canibus, & in hominum Cadaveribus, quæ *Cl. Widemar*, quæ nos, aperuerimus, apertave contemplati fuerimus, omnia Intestina modice tantum turgida inventa esse: videri hinc eam vim Machinæ esse, ut omnes in via resistentias multo leviore negotio superet, quam ut per resistentes potentias suam viam amplificare cogatur. In vivis quidem intestinorum vis contractilis juvare dici potest; in cadaveribus autem haud ita.

8. Cur in iisdem experimentis (n° 7.) Ventriculus maxime expansus? Replendus is erat donec vel finderetur, vel per orificia evacuaret se sua: per orificium inferius sive dex-

trum non poterat, impellente fortius machina; ergo per ſuperius tantum, ubi primum ſic repletus, ut capere ultra non potuerit.

9. Haud in canibus duntaxat, verum nec in hominibus, hucusque inventam eſſe per ſe letalem eam, ſuperna verſus, *Tulpianæ* valvulæ aperturam, ut aqua, ut ſtercora, ut enemata, ut etiam ſuppoſitoria, ex Recto & Colo adſcendant, & ore evomantur. Caſus *Matthæi de Gradibus*, *Guainerii*, Pueri, de quo Rat. Med. Tom. 3. pag. 104. 105. tandem & trium illorum, quibus, referente *Cl. Widemario*, hæc Machina vitam ſervavit, aperte hoc evincunt.

10. Caſus dari ex obſervationibus, quos Machina hæc minime curet: quales enim binos expertus ſit *Cl. Widemar* inſuperabilitatis Valvulæ, tales plures reperiundos fore. Jure pro-

proinde *Italos* Medicos & Chirurgos laudandos, qui in vivis hominibus, ne una vice nimium urgendo obesſent, lente adeo & prudenter progreſſi ſint.

11. Meditationi Pathologicæ multam materiem a Vermibus in Canibus repertis ſuppeditari. Ac primo quidem ope Machinæ in binis Canibus vermes teretes plures vomitu ejectos; in tertio magnam copiam teretium & latorum. 2. In Anatome canis poſterioris Teniam copioſam, multosque illos teretes vermes, inteſtina fere tota expleviſſe. 3. Eosdem copioſiſſimo ac tenaci inhæſiſſe glutini. 4. Cur tota hæc moles, aut cur ſaltem primo in ortu, motu periſtaltico, & transeunte chylo, depulſa non fuerit, mirum videri; cum quo affigat ſeſe, quove retineatur, nullibi appareat quidquam. 5. Retinere-

turne hæc Vermium ac glutinis moles a motu antiperiſtaltico naturali? Sed cur tunc Chylus, cur incipientes non retineantur fœces? 6. Nunquid copioſi adeo Vermes ſuo motu & reptatu non plus, quam alia ibidem contenta, canalem inteſtinalem ſtimulent? & cur haud expellantur tamen? 7. Poſſiderentne vim ſuſtinendi ſe, motui periſtaltico reſiſtendi, affigendi ſe, dum pelluntur, tuendique domicilium? 8. Ideone inefficax toties Antihelmintici vis, quod tenaci glutini involuti vermes, tutique hæreant? 9. Visne Antihelmintici ea præcipua ſit, quæ gluten incidere, pellereque, ſit potis? 10. An Allium, Aſa fœtida, Fuligo cruda Caminorum, &c. ſæpius ſumta, Vermes in medio ſuo glutine ſic afficerent, ut ſede mutari cogerentur, & vel ſponte ſurſum deorſumve exitum

quæ-

quærerent, aut catharctico fortiore tunc facile expellerentur? An vero hæc tantum in gluten destruendum potenter agendo insecta fugent?

12. An inde forte capiatur cur alvo nonnunquam prodeant corpora ulna longiora, intestinum cavum longitudine, amplitudine, cavitate, referentia; quale quid stupenda eruditione clarus *Justus Lipsius*, teste Medico suo *Heurnio, patre*, excrevit? & quale præstantissimum Collegam, variis portionibus, quas inter unam quatuor spithamarum, excrevisse vidi? Utique Glutinis immensi, intestina opplentis, copia, sive genita cum Vermibus, sive aliunde, possetne aliquando inspissari, condensari, conglutinari cum cavo intestino, & post Leienteriam, post Atrophiam a tot obstructis Lacteorum osculis, naturæ de-

mum

mum bonitate ſub hac expoſita forma excerni?

13. Si tandem, plurium Iliacorum curatorum exemplis, Cunctis meridiano ſole clarius conſtiterit *Tulpianam* Valvulam a Machina innocue aperiri, totumque inteſtinalem tubum ſe tuto per os evacuare; an tunc in difficillima cura Vermium, cum maxime latorum, Machina applicanda non foret vicibus repetitis, ut *Itali* fecerunt; quandoquidem viderimus ab unica applicatione, ſed fortiore, & lumbricos multos, & copioſam, cum muco abundantiſſimo, expulſam Teniam? Animus eſt, ſi denuo canem teníoſum nactus fuero, ſingulo tertio quartove die experimentum toties repetere, donec ultra nihil de verme prodeat; incidere demum Canem, viſurus num penitus a Vermibus immunis ſit, nec ne?

14. De

14. De experimentis, circa actiones vitales in vivo animali utroque hic captis, notandum id censeo, quod in omnibus canibus ac felibus, quos ad cotemplandam hanc actionem unquam vivos contemplatus sum, rem non semper, ut hic, invenerim; verum perpetuo cum mira in aliis atque aliis varietate: unde concludo 1mo illegitimam quamcumque regulam physiologicam fore, quam ex ejusmodi phænomenis, adeo inconstantibus, obtrudere quis vellet. 2do magis illegitimum esse actionem sani vegetique animalis sic exponere, & per ea explicare velle, quæ in eodem vulnerato, convulso, agitato, cum morte luctante, cum absentia resistentium potentiarum, quæ olim partes in debito situ detinebant, fulciebantque, observentur. 3^{tio} Maxime illegitimum vitalitatem huma-

nam,

nam, ſanam, explicare, & comparare cum phænomenis, quæ animal vulneratum, & cum morte luctans, inſigni varietate & inconſtantia offert contemplantibus.

Atque hic tandem finem operi impono, ſolito jam protractiori, quam ut notabiliores caſus Chirurgicos & Anatomicos, quorum tamen ſcire intereſt, adjungam eidem: unde hos ad proxime ſubſequentem tomum reſervabo.



ANTONII DE HAEN

S. C. R. A. MAJESTATIS CONSILIARII
ET ARCHIATRI,
NEC NON MEDICINÆ IN HAC ALMA
ET ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE PROFESSORIS PRIMARII, SOCIETATIS SCIENTIARUM HARLEMENSIS, ET PHYSICO-BOTANICÆ FLORENTINÆ
SOCII,

PARS NONA
RATIONIS MEDENDI
IN NOSOCOMIO PRACTICO;
QUOD IN GRATIAM ET EMOLUMENTUM
MEDICINÆ STUDIOSORUM
CONDIDIT

MARIA THERESIA,
AUGUSTISSIMA ROMANORUM
IMPERATRIX,
HUNG. BOHEM. &c. REGINA &c. &c.



VIENNÆ AUSTRIÆ,
SUMPTIBUS HERMANNI JOSEPHI KRÜCHTEN.

M. DCC. LXIV.



ELENCHUS CAPITUM.

CA-





CAPUT I.

SISTENS ANATOMICAS ALIQUOT SECTIONES, UNA CUM BREVI PRÆGRESSI MORBI HISTORIA.

§. I. *Pleuroperipneumonia, in qua dolor die 5. evanuit, pulsus autem semper, & cum dolore, & sine eo, aut fortis, aut durus, aut subdurus, percipiebatur; in qua sanguis quo crebrius missus; eo magis phlogisticus fuit; & in qua multa signa bona multis perpetuo malis commista erant. Mors die septima. Anatome eum in fi-*

nem descripta ut haud ea modo, quæ ad hunc morbum pertinent, sed & multa alia innotescant, quæ in decursu hujusce operis usui venient: quod idem de reliquis anatomicis sectionibus monitum esto. §. II. *Pleuroperipneumonia ad 11. diem letalis, cum pulsu fere semper duro, & intercurrente Asphuxia, dolore pridie mortis evanido. Anatome.* §. III. *Pleuroperipneumonia ad diem 7. letalis sine pulsu duro, nec molli tamen. Anatome.* §. IV. *Gastritis sine vomitu, letifera, in cachectica femina, cum maxime fallentibus sanguinis missi phænomenis; in qua etiam id singulare, quod consueto suo per omnem vitam modo, animo linqueretur, in prima & altera, quam ipsi instituimus, Missione sanguinis; in tertia vero, ac quarta, minime. Anatome.* §. V. *Renalis morbus chronicus, cui deinde Pleuritis, ac Paraphrenitis, accutissimæ junctæ, cum miranda Cadaveris sectione.* §. VI. *Labes vi externa contracta, quæ demum post sexennium Hydropem pectoris mentita, mortem intulit miris symptomatibus. Anatome.*

§. VII.

§. VII. *Mors a Phthiſi pulmonari, cum ſuſpicione Aneuryſmatis in ventre latentis. Anatome.* §. VIII. *Ignotus morbus ſectione Cadaveris cognitus.* §. IX. *Mors ab ulceribus cruris, ſpurium demum Aneuryſma generantibus.*

§. I.

De Noſologia, & Diagnoſi, nonnulla prolaturus, præmittam plura, quæ poſt datos primum morbos, a morte deteximus.

Iuvencula 17. annorum, a triennio primum menſes irregulares, quin & ſemel anni ceſſantes ſpatium, a ſesqui anno vero iterum ſat, ut ait, copioſos, & nuper adhuc mox ante huncultimum morbum ſuum, habens; febre acuta cum miliaribus anni abhinc elapſo ſpatio laboraverat, exinde vero ſana vixerat; excepta, qua non laborioſa

 qui-

quidem, nec valde ſicca, frequenti tamen admodum vexabatur, tuſſi. Lotrix erat.

Martii 10. Pleuroperipneumonia eam invaſit, cui in principio dolor pectoris univerſi, dein lateris ſiniſtri inferioris, & die quarto ejuſdem lateris ſuperioris, perpetuus eo uſque comes, quinto demum die ita evanuit, ut nullus poſtmodum, niſi a validiore nonnunquam tuſſi, perciperetur. Pulſus ipſi paſſim celer, fortis, nonnunquam ſive durus, ſive ſubdurus, nunquam vero cum celeritate mollis, niſi prope mortem fuit. Sexies ipſi Vena ſecta eſt, ſic ut libræ medicæ quinque ipſi detractæ ſint; ſanguinis craſſamenti, cruſtæque denſitate eo quidem auctiore, quo crebrius educeretur. Urinas vel crudas minxit, vel coctas, nonnullas etiam hypoſtaticas. Emiſit nunc crudam alvum, nunc, idque ſæpius,

co-

coctam, ac flavam; ſub finem autem fuscam, valdeque fœtentem. Reddidit pauca, vix cocta unquam, ſputa. Bonas partim, partim malas tranſegit noctes. Tranſpiratio inconſtans; quemadmodum ne unicum quidem ſignum bonum, ſeu vitales actiones, ſeu naturales, animalesve ſpectares, toto morbi decurſu apparuit, quod malis admodum ſignis non interturbaretur. Periit die 7. morbi finiente.

Hora a morte 27ma elapſa, Cadaver aperuimus. Quod externo in corporis habitu notaremus, nihil fuit. Toroſæ Mammæ. Gracile potius & depreſſius, quam tumidum erat Abdomen, nec vel ad Epigaſtrium ullo modo tumefactum.

Bonum Omentum ac pingue, obvelans cuncta viſcera ad amuſſim, ad imam uſque pelvim, & ad integra latera.

Hepar lobo majori ſuo explebat totum dextrum latus ſic, ut ſuperiore ſui parte altitudinem quartæ, numero a ſuperioribus ducto, coſtæ æquaret; inferiore autem trium latitudine pollicum infra Coſtarum infimarum Cartilagines deſcenderet; in medio vero Epigaſtrio in latus ſiniſtrum nonnihil protenderetur. Lobus minor, ingensque ille, ſuperiorem ventriculi partem tranſcendens, attigit areum ſiniſtrarum Coſtarum, indeque retroflexus ventriculum a latere, ac non nihil a dorſo, amplectebatur.

Lobus major, qua parte ad minorem vergit, pugni magnitudinis Hydatidem geſſit; quæ, eo quod in excavato ad id hepate hæreret, ſua ipſius mole ſive in vita, ſive in Cadavere, neutiquam eminuit.

Veſicula fellis bilem paucam habuit, eamque haud ſpiſſam valde, aut valde aurantiam.

Splen

Splen pedem hominis adulti longitudine ac latitudine referens, ad sesquipollicem latum infra imam costarum marginem eminuit.

Ventriculus parte superiore delitescens sub Hepatis minore lobo, demum conspicuus infra ejusdem oras apparuit; amplusque deinde tam in dextra, quam sinistra, demum leviter obliquus, pylorum formabat ad umbilicum, dextrorsum.

Intestinum Colon naturali modo habuit, nisi quod grandior splen flexum in eo extraordinarium faceret. Intestinum Ileum in pelvi hinc inde aut rubrum valde, aut purpureum. Ceterum Intestina omnia naturaliter distenta erant. Boni Renes, Ureteres. Vesica fere vacua. Uterus instar parvæ, ejusdemque complanatæ, Castaneæ.

In Thorace Cor haud parvum, justo carnosius; maxime lævum. In

utroque Cavo polyposi quid, quod in vasa majora usque pergebat: auricula dextra inde omnium maxime distenta. Erat autem materies hæc crassitudine, albedine, scissilitate, ei similis, quam in misso sanguine crustam inflammatoriam appellamus. Nec ab ea differebat, qui in magno venarum pulmonalium confluxu aderat, venosus polypus; nec ille, qui in Aorta. Aorta vero descendens hic rubrum sanguinem, illic pallidiorem habuit; fluidum hic, illic grumosum. Bonæ valvulæ, & cætera omnia.

Pulmones accreti nullibi: sinistri autem superior lobus exhibuit suum totum parenchyma durum ita, ut hepatis referret substantiam; sic grave, ut in aquam injectum, mox ejusdem peteret fundum. Ceterum, lobus inferior, ac dexter pulmo totus, nec rubebant, nec tumebant.

Mox

Mox poſt Trachææ dichotomiam, in principio ſiniſtri pulmonis, Calculus friabilis, granorum quinque, apparuit; nec procul inde veluti Corpus glandoſum, quod perſciſſum ſimilem calculum, ſed quintuplo minorem, gerebat.

§. II. Vidua ſexagenaria, quæ 30 abhinc annis ex gravi, diuturnoque morbo, ſive arthritico, ſive rheumatico, caruerat Catameniis; quæ anno abhinc elapſo ſyncope correpta, in platea jacuerat aliquantisper; quæ menſis elapſo ſpatio de gradibus in faciem prona cadens, magnam paſſa hæmorrhagiam fuerat, obtuſiusque inde capite dolebat & tuſſiebat; quæ tandem nunquam doloribus aut Colicis aut Iliacis obnoxiam ſe fuiſſe teſtabatur; cujus cur meminerim cauſam anatome dabit: hæc, inquam, femina Martii 11. proxime elapſi, cepit pleuroperipneu-

monia affligi, ac citra auxiliatricem cujusquam manum, in ſumma omnium rerum penuria, frigido in loco, in nonum usque diem jacuit.

Nono autem die, ex ſuburbio *Joſephino* in Noſocomium *Hiſpanicum* minus ivit, quam reptavit, integro indigens, quo illuc demum perveniret, bihorio. Inde mox ſella portatili noſtrum eſt inducta Noſocomium, inibique vix undecimo morbi inchoante die expiravit.

Notabile in ea nihil per hunc ſesquialterum diem, niſi 1mo quod poſt venæ ſectionem, ac ſemiveſicans emplaſtrum, dolor quidem lateris penitus remitteret, cetera vero Peripneumoniæ ſymptomata increſcerent. 2do quod pulſus durus & cum dolore lateris, & poſt eundem ceſſantem, perſeveraret; nec niſi paucis ante obitum horis in parvum, debilem,

ce-

celerrimum, & inæqualem mutaretur: 3tio quod Aſphuxiam ter, deficiente ſcilicet omnino pulſu, paſſa ſit.

Horis poſt mortem duabus & triginta prægreſſis, inſpeximus Cadaver. Venter compreſſior potius, quam elatus; colore hinc inde vireſcens.

Hepar magnum, latitudine integræ palmæ manus infra coſtas propendens; in thorace autem ad altitudinem quartæ quintæve a ſuperioribus numerando, coſtæ aſſurgens, lobo ſiniſtro obvelabat ventriculum, lienemque attingebat.

Lienis nullus conſpectus; non eminebat enim infra coſtas, latitabat ſub ventriculo, ſub quo aſſurgens Hepatis ſiniſtrum lobum tangebat. Sanus erat.

Ventriculus a ſuo prope Diaphragma principio, ad Pylorum usque, nihil habuit ventriculi figuræ ſimile, ſed

ſed canalis mire tortuoſi, inteſtini inſtar, formati, tantumodo, ſecundum inania illa ſpatia, quæ ipſi conceſſerant ſplenis jecinorisque crepidines.

Pylorus craſſus, durus, una in plaga Cartilaginis inſtar elaſticus.

Omentum complicatum, & convolutum circa originem ſuam, haud ultra duos digitos latos longum; non ita tamen in ſuis concretum convolutionibus, quin explicari adhuc poſſet.

Inteſtinum Colon aſſurgens ex Ileo dextro, conſueto more ſub Hepate flexum, in medio Epigaſtrio deſcendebat, ac miro illi Ventriculo, hic deſcendenti, locum cedens, intra Jejuni volvulos occultabat ſeſe, aſſurgensque inde, & juxta ventriculum decurrens, petebat ſplenem: inde vero deſcendens, in medio ſuo itinere, ſplenem inter Ileumque, flexit ſe pedis longitudine verſus lineam albam;

mox

moxque recurrens ad illum, unde recesserat locum, descendit more consueto Cristam Ilii versus, ab inde vero in pelvim; ubi Rectum formaturum, se prius digiti longitudine sinistrorsum flexit, reflexumque iterum in mediam pelvim, & iterum inde digiti longitudine in læva, tandem ad mediam pelvim se contulit, Rectum producturum. Sic, ut omnibus hisce insolitis volvulis una tertia parte solitam alias longitudinem superaret. Desiderabantur porro Coli in his aberrationibus cum ligamenta, tum cellulæ; ejusque tenuitas tanta erat, ut pelluceret.

In Intestini ilei latere interno, in libero abdomine, erant certo quodam in loco duæ sibi proxime appendiculæ, quavis contrectatione minime dispa-rentes, flatibus turgidæ; quales in illa Herniæ specie cernimus, in qua,

via intra ventrem per inteſtinum patula manente, ejusdem Inteſtini appendix intra Peritonæi ſaccum in Hernia eſt.

Elevando Colon vidimus veſicam felleam bile plenam, colore aurantiam; ſic, ut lato in ambitu Jecur, Duodenum, &, quod Duodeno Inteſtino pro Meſenterio eſt, Omentum, colore profunde flavo tingerentur.

In Thorace Pulmonis dextri lobus ſuperior cum Pleura leviter, ſiniſtri autem ſuperior lobus totus, & undique, membranea productione connatus fuit. Ambo vero pulmones hinc livido, illinc purpureo colore maculati toti, minime autem compacti, aut indurati.

Cor dextrum tenue, ſiniſtrum valde craſſum. Tricuspidales Valvulæ naturales, ut & tres Semilunares ad Cor dextrum; Mitrales pariter; ſed

Se-

Semilunares Aortæ omnes magnas habuere, latasque, cartilagineas portiones. Aortæ tunicæ craſſiſſimi inſtar Corii: Arteriæ autem pulmonaris tunicæ venam potius, quam arteriam, tenuitate referebant.

Polypus magnitudine Caſtaneæ majoris in Aure dextra, qui totus, una cùm longo venæ cavæ polypo albebat, ut materies ſolet, quæ cruſtam phlogiſticam format.

Coſtarum Cartilagines duræ, jam oſſeſcentes, potiſſimum inferiores.

§. III. Ruſticus 48. ann. a 20. annis ſaniſſimus, jam autem ægritudine ſuæ uxoris, quinque forte menſium tempore, multum defatigatus, ejuſque demum obitu inconſolabilis, cogebatur die 18. Martii trium horarum iter, gravi ſarcina oneratus, idque pedes, abſolvere; novoque pondere onuſtus redire. Ad noctem redux febre, tuſſi,

tuſſi, ac pungente præcordiorum dolore affligi cepit. Die tamen ſequenti, minus male ſe habens, exivit; veſpere vero valde ægrotavit. Martii 20. e pago ſuo *Viennam*, horæ itinere, pedes appulit, Medelam in Noſocomio *Hiſpanico* petiturus. Inde ad nos, ægris indigentes, mittebatur.

Inveni hominem haud modice febricitantem, dedolatum, tuſſientem, laborioſe reſpirantem. Juſſi lectum mox peteret: at vero ille ejus mentis non eſſe ſeſe; ſed cum biduo indigeret rebus ſuis cum uxoris conſanguineitate componendis, auxilium aliquod ſe velle; rebus compoſitis poſt biduum rediturum ſe, manſurumque. Hominem periculi convincere fruſtra conatus, id demum illi Conſilii dedi, ut domum redux, mox ſibi venam tundi curaret, & magna miſtura attenuante, refrigerante, atque expectorante

rante, copiose uteretur, pectorale autem decoctum continuo biberet.

Consilium hoc secutus mitius ægrotavit: Die autem Martii 23. totus dedolatus venit pedestri iterum itinere ad me, per Nives ac Pluvias continuas & densas, sic ut præ lassitudine, & aëris inclementia, quinque horarum tempore indiguisset, ut horulæ absolveret iter; vini rubri fere libra in diversorio donatus, & recreatus. Video hominem intrantem Nosocomium summa cum animi commiseratione, ita defatigatum, ut fere concideret humi, frigidum, ad indusium usque madentem, aspere tussientem, anxierespirantem, in eo duntaxat mutatum a biduo, quod nec nunc, nec quoad vixerit; præcordiorum perceperit, aut conquereretur, dolorem. Dies erat morbi quintus, magnam partem jam transactus.

Omnis ſanguis vena ter eductus, ſummopere inflammatus fuit, & cum omnibus ſignis cruditatis in ſingulis Functionibus, quarum ſemel iterumque leves prodierant, ſed inconſtantes, & breves, coctiones, ad finem ſeptimi ſui morbi diei expiravit. Nunquam ipſi pulſum aut mollem, aut durum, deprehendimus, ſed fortem ac celerem; paucis vero ante obitum horis debiliorem & omni modo variantem.

Cadaver inſpeximus 37. a morte hora. Colon & Ventriculus univerſum explebant Epigaſtrium. Parvum Jecur, & vix plus, quam dextrum latus occupans, ita intra coſtas reconditum, ut, contrario priorum Exemplo, nihil de eo potuiſſet in vita tangi. Nec putet quis vacuitate Thoracis aperti jecur altiora petiviſſe: nam & in hoc, & in præcedenti Cadavere utroque,

Tho-

Thorax non fuit, niſi poſt ventrem, apertus.

Ut de Jecore dictum, ita & intra Coſtas totus reconditus erat ſplen, ut ejus nihil potuerit in vita tactu deprehendi; is autem colore fuſco ruber, una cum membrana ſua ſub digitis deliqueſcebat, rubræ pultis in modum.

Craſſa, profundeque flava bilis, viciniam totam aurigine inficiebat.

Colon tympaniticum totum, tres flexus ſupernumerarios habuit; ingentem primum, mox a conſueto ſub hepate flexu deſcendentem oblique verſus umbilicum, indeque debitum in locum revolutum, inde ad Lienem; ad quem ubi ſolito more ſe flexerat, mox verſus Renem lævum pergebat, redibat ad ſiniſtra, & incurvans ſe deſcendebat ad Criſtam Ilei, parvoque ibidem formato flexu, conſueta tandem via in Rectum abibat. Erant au-

tem hic omnes illæ plicæ membraneis productionibus invicem nexæ, ut evolvi non possent.

Amplus Ventriculus, sinistrum latus explebat sic, ut supra lienem, cui incumbebat, arcum attingeret costarum; magnam quoque partem occupabat lateris in Epigastrio dextri, antequam abiret in Pylorum.

A Colo & Ventriculo propendens omentum, idque crassum valde ac pingue, sic obvelabat Intestina, ut quidem in dextro Ileo palmæ longitudine deficeret, in medio autem ventre in imam pubem descenderet; & non modo in sinistris omnia Intestina perfecte tegeret, verum etiam versus annulum abdominis crasso, eoque duos pollices lato processu, Peritonæum inter & Intestina, pergeret ad Rectum usque.

Cor utroque in thalamo habuit nigrum, grumosumque sanguinem. In

dex-

dextra auricula albus erat, firmusque, ac coriaceus, polypus. Qui ex vena jugulari eductus, secum ducebat spithamæ longitudinis polypum teretem, media parte album, durum instar lardi, altera parte ex nigro atque coagulato cruore formatum; qualem & ex orificio Arteriæ pulmonaris extraxi. Itidem ejusmodi polypus duplex ex venarum pulmonalium ad Cor origine extrahebatur, referens exacte figuram venarum pulmonarium, in complures ramos divisarum. Demum & similis ex Aorta extractus est, qui ad ejus in Iliacas divisiones pertingebat. Sic autem se habebat singulus hic duplex polypus, ut uno in loco alteri a latere adjaceret cohæreretque alter, alio in loco albus polypus rubro inclusus esset.

Pulmones utroque in latere Thoracis cum Pleura, cum Pericardio, cum Diaphragmate, indissolubiliter

fere coaluerant. Erant nigro purpurei toti. Ex lobo superiore ſiniſtro ichor effluxit ſectione quavis copioſus, non ex quadam veluti hydatide, ſed ex illius parenchymate. Lobus ſuperior dexter, duritate, craſſitudine, ac colore fuſco-rubro, Hepatis portionem referebat: dura hæc pars aquæ in fundum ilico deſcendit.

In latere dextro ad 3. 4. 5. 6. coſtarum arcum, numero a ſuperioribus ducto, florenum craſſa, ac cartilaginea, Pleura fuit; in plaga autem quadam digiti longi ac lati magnitudine jam oſſea, oſſeasque ſpinas dimittens.

§. IV. Juvencula 22. annorum, nunquam recte valens, menſes irregulares olim, jam vero nullos a biennio habens, morbum acutum pectoris, decurſo abhinc biennii ſpatio, itidemque ante annum paſſa, ceterum pertinaci Tuſſi, & validæ cephalææ ſæpe ob-

obnoxia, tandem 30. Martii febre valida incipit corripi, cum acri tussi, pectore compresso, respiratione difficili, artuum dedolatione, ac Epigastrii dolore. Vomuit septies, toties que alvum excrevit. Tertio die viribus confracta, in via, ex suburbio *Leopoldino*, ad Nosocomium *Hispanicum* conficiunda, trihorium impendere debuit. Sella portatili inde ilico ad nos ducta est.

Pulsus ipsi durus ac celer. Oculi inordinate movebantur, & pupilla integra sub palpebra superiore sæpe abscondebatur. Quater ipsi vena secta est. In singula V. S. duæ sanguinis unciæ probe fluxerunt, reliquæ 6. 7. 8. unciæ guttatim. In prima V. S. facies, oculique convellebantur, tendines subsiliebant, & jacuit media ferme hora inscia sui, pulsu interea perpetuo cum constanti, tum forti. In

altera V. S. ægram, ſubtractis pulvinaribus, horizontaliter reclinavimus, ſymptoma hoc, ut ſperabamus, præventuri, ſed fruſtra; quin & tunc ad ſe rediens, conſuetum hoc ſibi quotiescunque vena ſecaretur, ſive jaceret, ſive ſederet, fuiſſe aſſeverabat. Attamen in tertia ac quarta Venæ ſectione, tale quid paſſa non eſt.

Sanguis in prima V. S. nihil omnino inflammatorius, in altera admodum: in tertia, quæ ob compreſſum, ac plenitudine fere ſuffocatum pulſum, auctaque morbi ſymptomata, facta eſt, ſanguis, elapſo bihorio, habuit in primo, ac tertio vaſe, cruſtam ſub tenui pellicula tremulam, gelati inſtar; craſſamentum autem ſubnigrum, & maxime diſſolutum: in vaſculo vero ſecundo cruſtam denſam ac fere lardaceam; craſſamentum rubicundius compactiusque. Sanguis quartæ V. S. quæ propter acutum

in

in Epigaſtrio dolorem, & ob durum, fortem, ſimulque inæqualem pulſum, inſtituebatur, in vaſe priore mox ſua ſuperficie albebat, manſit tamen diu liquidus, licet colorem cruſtæ habebat: poſt horas autem 24. ſolidam valde ac denſam cruſtam habuit; altero in vaſe vix cruſta fuit. Pulſus inde mollior.

Supra notavimus feminam primo morbi die ſepties cum vomuiſſe, tum depoſuiſſe alvo: ex quo vero, inchoante die ſuo tertio, apud nos fuit, non modo non vomuit unquam, ſed ne nauſeavit quidem; ita ut ſemper avide ſuum jus ſumpſerit, egregieque biberit aquam hordei cum melle & nitro. Alvus ipſi ex judicatoriis non judicantibus. Obiit medio fere exacto morbi die quinto.

Cadaver 24. hora a morte apertum eſt. Hepar explens lobo utroque la-

tus dextrum, & ad tres latos digitos ſiniſtrum. Longitudine ſua ad duos digitos latos eminuit infra marginem coſtarum ad medium ventrem, & enſiformem Cartilaginem; dextrorſum vero totum intra Coſtas recondebatur. Molis mediocris ergo, ſed ſubſtantiæ bonæ. Bilis copia mediocris, colore aurantia.

Lien ſub ventriculo reconditus, infra coſtas non eminuit, molis mediocris, ſed ſubſtantiæ adeo mollis, ut vel levi digiti attactu, una cum ſua membrana, abiret in ruffum liquamen.

Ventriculus adeo ingens, ut Epigaſtrium exacte repleret ab arcu coſtarum ſiniſtrarum, ad eum dextrarum; altitudine ſeu amplitudine ſua ſuæ reſpondens latitudini, imo vix dimittens de ſua amplitudine verſus Pylorum, quem, ſubito arctatus, in deſcenſu ſuo a margine Coſtarum dextrarum

for-

formabat. Plaga obſcure rubra in ſiníſtra ejus parte prope coſtarum marginem. Eratque ibidem tenuis valde ſubſtantiæ. Penetrabat autem color ille obſcure ruber per cunctas ventriculi tunicas, ſic ut inde in ejus cavo gangræna inciperet, ſive color purpureus, qui ventriculum internum ultra pedis magnitudinem defoedabat.

Quo magis a ſiniſtris ad dextras pergebat ventriculus, eo fiebat craſſior, vix ibidem rugoſus, ſed cartilagineis eminentiis inſtructus.

Unicus in Coli ſiniſtra parte ſupernumerarius flexus. Omentum magnum & pingue. Renes boni.

Pulmo dexter verſus ſuperiora leviter accretus; ſiniſter ubique, ac fortiter. Utriusque color purpureus; internus, externusque.

Molles ceterum ac flaccidi, tres in ſuperficie induratas puſtulas habentes.

Cor

Cor pingue. In Thalamo ſiniſtro pauculum ſanguinis nigri ferme coagulati. Polypus albus ex coalitu Venarum pulmonarium extractus, ſex magnos, eosque craſſos, ramos polypoſos habuit. Polypoſa materies ad digiti longitudinem erat alba, dein rubro ac coagulato cruore in reliqua longitudine complebatur. Similem polypum, ſed craſſiorem, longioremque, ex ſinu dextro extraxi, in quo etiam fibræ, primum albæ, rubris continuabantur.

§. V. Die 23. Jan. hujus, quem vivimus, anni, convenit me homo 39. annum ætatis agens, juventutis Inſtructor, cui, octenni puero, juvenis fortis pilam luſoriam, fune compingente induratam, in lumbos injecit adeo violente, ut humi is proſterneretur. Domum inde delatus, lumbis doluit, ac ſequenti mane ſangui-

nem

nem minxit. Mictus autem hic, & dolor, citra ullum artis auxilium brevi, integreque, cessaverunt. Attamen exinde usque ad 27. ætatis annum testabatur se debiliorem dextra lumborum parte fuisse, ab eoque loco dolores se percepisse crebros, per ventrem vagantes, pro colicis & habitos, & citra levamen notabile tractatos. Materiem in urinis purulentam se ad 20. vitæ annum percipere cepisse; nescire vero num prius affuisset: nunquam enim se suas examinasse urinas, & tunc casu tantum primum animadvertisse.

Anno ætatis 27. ad rem annonariam in exercitu Gallico admotus, demum post iter plurium Leucarum curru absolutum, minxit sanguinem rivatim. Quiete restitutus, urinas sine sanguine reddidit, nisi ad maiores motus perpauce. Talem autem ut plurimum minxit, quæ crassum haberet, tenaxque valde sedimentum. At-

Atque sic se res habebat ad Autumnum 1763. usque. Tunc vero ejusmodi materiæ in urina mictu cessante, inhorruit, quatriduo sudavit, lumbumque dolere ac tumere observavit, aucto ad pronationes dolore.

Variorum sententiam expiscatus, multa, post venæ sectionem, externa admovit. Hic status rerum, dum me primum conveniebat, asseverabatque a superiore tumoris regione depluere materiem secundum spinæ lumborum latus, inque inferiore ejusdem sede, magis, quam alibi, dolente, colligi.

Die 2. Febr. pus sponte effluxit aliquot unciarum. Febr. 3. sponte clausa apertura, minxit purulenta non fœtida. Tumor jam & ad os Ilii erat.

Febr. 4. in Consilium vocavi Magnificum Virum D^m *Hazenohrl* Reg. Cels. Archiducis *Leopoldi* Archiatrum, D^m *Schreibers*, eximium Nosocomii *Civici* Physi-

Physicum, Viros dexterrimos S.S. M.M. chirurgos, Dm ab *Hombourg* M. D. Dm *du Creux*, &c. Quo in Consilio quærebatur cujusnam naturæ tumor esset? Aperiundusne, an sibi linquendus? Et, si aperiundus, quo & modo, & loco,

Conclusum ex Anamnesi, & conspectu, tactuque, a suppurante Rene videri tumorem natum esse. Aperiendum esse, ne ad os Ilii collectum pus, id in cariem verteret, vicina destrueret omnia, resorptumve mortem post hecticam afferret. Aperiundum autem esse inferiore sede sua, idque apertura exigua, ne a latiore apertura abundantior suppuratio excitata, marcorem totius corporis, mortemque, generaret; neve aëris accessu liberiore citius corrumperentur partes, corruptionem forte inchoantes: sic tamen ut si facta apertura, digitus prudenter immissus ali-

am

am indicationem patefaceret, totum opus ſecundum hanc dirigeretur.

Interea, dum per unum alterumve diem differetur operatio, per aperturam parvam, quæ die 2. Febr. ſponte nata erat, multum puris, ichoris, rubrive glutinis, nonnunquam effluxit, levi cum febricula, multoque cum ſudore.

Hac febre intra diem ſedata, Vir dexterr. *ab Hombourg* aperturam fecit, effluente tantummodo ſanguine: altero autem die premendo ab oſſe Ilei ſurſum, multum puris effluxit, idque ita per octiduum. Digito, ſtiloque inductis, patebat varios ſinus, fiſtulaſque, deorſum, dextrorſum, & etiam ſupra vertebras ſiniſtrorſum, formatas eſſe.

Fluente ſic quotidie pure, urina parum; poſt octiduum vero pauco pure effluente, urina plurimum puris, vel ſibi prævium, vel ſubſequum, habuit.

Li-

Ligaturis, ut vocant, expulſivis, ſinus, fiſtulæque, prorſus evanuerunt.

Notandum autem eſt materiæ, quæ primis diebus de facta apertura effluxerit, vehementem fuiſſe fœtorem: hunc vero, data quotidie media uncia Peruviani Corticis, quam ad finem fere vitæ quotidie aſſumſerit, prorſus, brevique tempore, ſublatum fuiſſe. Hoc remedio, Emulſisque, nocte paregoricis, die demulcentibus, ita profecit, ut dimitti ad munus ſuum poſcentem, ea conditione die 31. Martis dimiſerimus, ut & quotidie pergeret in Corticis uſu, & quotidie rediret deligandus.

Rediit ille diligenter, ulcere parumper fluente, cum frequenti pruritu, cumque pure in urinis jugiter comparente; viribus interim valens, ut in munere ſuo perficiundo, ambulando, bene comedendo, dormiendoque, indies toroſior, meliusque coloratus, ad

pareret; suam mediam Corticis unciam quotidie religiose repetens, ad usque diem Maji octavam.

Ea vero die, cum vespere praegresso mediocrem in vino suo mutato commisisset errorem, friguit, horruit, incaluit; altero die Vomitum passus ac Diarrhœam est: unde eo die in Nosocomium venire deligandus non potuit, venit autem 10. Maji, mansitque moriturus. Nocte enim Pleuritis accessit, quae 30. & aliquot horarum spatio sustulit hominem. Sanguis in hac pleuritide sexies missus, summopere inflammatus fuit, non minus is, qui ex pedum alterutro, quam qui ex brachiis, effluxit. Pulsus durus ac magnus erat, usque ad 12. ante mortem horam.

Cadaver incidimus horis 31. a morte elapsis. Ren sinister magnus. Dexter omnino major, integram hominis

non

non magni manum æquans, non placentæ inſtar planus, ſed rotundus valde. Cohærebat porro ad Peritonæum, quo loco oſſeus apex coſtæ infimæ dextræ erat; ibique perforato Peritonæo via patebat, qua materies a Rene ad tumorem externum, ejusque fiſtulas, pervenerat. Ab illo enim coſtæ apice deſcendebat materies perforato peritonæo, quocum Ren concreverat, ad ſemi digiti longitudinem, poſtea cavum formabat, ſive tumorem inter muſculos & cutem, ex quo quondam orti fuerant ſinus ac Fiſtulæ, quaquaverſum divergentes, jam vero artificioſa ligatura ſic deletæ, ut ne veſtigia quidem earum cernere eſſet.

Membrana externa hujus dextri Renis inæqualiter expanſa, & hinc inde ad lineæ, & ſesquilineæ, incraſſata denſitatem, dum auferebatur, en! miro conſpectu, quoad ſitum figu-

ramve haud facile deſcribundo, Calculi apparuerunt, duo Majores, tres Minores, & undecim Parvi, quorum unus ex variis calculis concretus, tuberoſam quandam referret radicem; alius ex calculis pluribus itidem compoſitus, qui omnes ad unum ſeu pedunculum in ambitu cohærebant. Pondus maximi erat unc. ij. dr. ij. gr. xv. Pondus alterius unc. ij. dr. j. gr. v. Tertii, dr. vj. minus octo granis. Quarti, dr. ij. ſcr. ij. gr. xiij. Quinti, dr. ij. gr. xxxij. Undecim parvi pendebant una dr. j. gr. xxxiv. Fuit ergo pondus omnium unc. vj. ſcr. ij. gr. ix. præter minutias ubique in Rene inventas, ramenta forte aliorum.

Calculis exemptis, pelvis & ureter ſponte patebant, & de corticali Renis ſubſtantia ſupererat parum admodum. Ureter naturali triplo amplior, verſus veſicam paullo anguſtior, tota ſua ſubſtantia craſſior.

Ren ſiniſter non durus, ſed dum incidebatur, ruberrimus. Papillæ naturales, ureter craſſior ampliorque, minus tamen dextro. Proſtata fuit cum Veſicæ collo digitum craſſa.

In Thorace ſub loco olim dolentiſſimo, quem, ne quis dubitaret, veſtigia indigitabant Emplaſtri, Pleuræ plaga admodum lata, haud inflammata tantum, verum inflammatiſſima fuit, & cum, permanente ibidem dolore, dolor diffudiſſet ſeſe verſus arcum coſtarum, Dorſumque, ita in Cadavere Pleura inflammatiſſima apparuit inde, ad alterum ſpinæ latus.

Pulmones nullibi ad Pleuram accreti, niſi adhæſione digito non latiore in loco inflammato; molles ceterum & dum incidebantur, in ſuperiore parte profunde griſei, etiam intus, erant; in inferiore intenſiſſime rubri.

Cor ſiniſtrum ſanguine polypoſo æque plenum, quam dextrum. Ambæ auriculæ admodum parvæ. Singulare autem fuit invenire Appendicem ſiniſtræ Auriculæ, quæ vermicularem cæci proceſſum haud inconcinne referebat. Attentius examinando & per Auriculam inflando, vidimus appendicem hanc genitam eſſe ex carnea auriculæ ſubſtantia, totam eſſe carnoſam, & hinc inde ea veſtitam pinguedine, quæ ad cor multa, juxta auriculam ad Appendicem protendebatur: apex vero illius, inſtar fundi ſacci rotundus, pingui caruit. Phenomenon ſane, quod aliis notatum non memini; Phyſiologis materiam præbens ſpeculandi.

Diaphragma ſummopere inflammatum, qua tendineum, qua muſculoſum; minus tamen qua Peritonæo, quam qua Pleura tectum.

§. VI.

§. VI. Homini annos 34. nato in pectus irruit currûs agitati Timon; non lædens tamen ita, quin ille integro exinde sexennio famuli præstare officium, leviore incommodo, potuerit. Anno ætatis 39. febre intermittente laborans, integre curatus est, sic, ut nullum inde in corpore vitium relictum fuisse recordetur.

Jam vero quadragenarius cepit a tribus elapsis mensibus difficile respirare, pectore angi, inani vexari tussicula, maxime ad motum majorem. Diarrhæam validam habere cepit, continuamque. A qua quidem, ut & per artem excitata Diuresi, levius per 2. 3. septimanas habuit. Exin vero cepit parvum habere, intermittentemque pulsum; intermittentem vero sic, ut Viri Expertissimi *Molinari* & *Mac-cheog*, qui ejusdem in se curam susceperant, tempore toto ultimi vitæ trimestris

ſpatii intermiſſionem ſæpiſſime animadverterent 5. imo 6. pulſationum. Huic frigus junxit ſe, & perpetuum, & plane marmoreum; nunquam in ſex poſtremis vitæ ſeptimanis recaleſcens. Initio trimeſtris hujus morbi Hypochondria dura, ac tumida fuere, ipſus vero venter tumuit nunquam. Sex ultimis vitæ ſeptimanis decumbere lecto, præ anguſtiis pectus ſuffocantibus, non potuit; erectus ſemper ſedens, quod ſuſtinere quidem præ laſſitudine ac debilitate vix potuit, præ anguſtiis tamen debuit. Crura tandem, dein & femora, ædematoſa reddebantur, ut fere creparent. Frigus intenſum, & ultimo vitæ quatriduo Aſphuxia. Excipulo inſidens expirat.

Horis a morte 29. elapſis, Cadaver cum laudatis ſupra Medicis præclaris, cum dexterr. *Hombourg*, & cum chirurgo noſtri Noſocomii *Scherer*, aperui.

Ven-

Ventriculus ingens, obliquus ita, ut ſitum haberet fere perpendicularem.

Sua crepidine jecur pertingebat ad Umbilicum, cetera bonum; Lobo minore magnam explebat ſiniſtri Epigaſtrii partem.

Latus valde ac longus Lien, bonus erat. Pancreas induratum.

Inteſtina contracta, ut craſſiora vix digiti diametrum, tenuia vero multis in locis vix duas digiti tertias in diametro haberent: haud tamen pro tenuitate incraſſata.

In perſcindendis dextrarum Coſtarum Cartilaginibus aqua erupit, & multa, & ſordida. Hydropis pectoris augebatur ſuſpicio; pectore autem aperto, patuit non pectoris eſſe, ſed Pericardii, Hydropem.

Plenum hoc Pericardium tantæ molis erat, ut utramque Thoracis cameram, ad jugulum fere usque, ex-

pleret; pulmonibus in tanti ſacci ambitu compreſſis, nec tamen duris, nec, quod mirabile, ne vel minimum quidem, cum Pleura, ac Diaphragmate, connexis. Nullus Pectoris Hydrops.

Eduximus primum ex Pericardio aquæ turbidæ ſubviridis menſuram, id eſt unc. 48. dein mediam menſuram aquæ rubellæ: nec hæc, nec illa foetuit. Evacuato Pericardio, Cor examinaturi mirabamur Pericardium de integro repleri. Quare Cor cum vaſis majoribus educentes, in tabula examinavimus, num forte in hoc, illisve, ea pateret, qua pericardium ſanguine continuo repleretur, ſcaturigo?

Primo adſpectu Cor nobis undique lacerum, atque exeſum apparuit: propius vero examinantes, deprehendimus id omne lacerum ac filamentoſum uni deberi ſanguini, qui polypoſam naturam adeptus, ipſi undique annecteba-

ctebatur, colore hic flavo, alibi nigro, illic iterum variegato; digitis demum inde separandus. Cor ipsum proceri quamvis hominis, valde tamen parvum. Quocunque autem in loco viam quæreremus penetrantis Pericardium sanguinis, invenire eandem non potuimus. An forte vulnus venæ, arteriæve majoris, paulo ante mortem factum, ad oram Pericardii, ubi vasa majora perscideramus, hæsit? ut proinde sic ejusdem nos penitus latuerit adspectus?

Cor substantiæ fusco pallentis, ac veluti semicoctæ. Cæterum nec valvulæ, nec vasa majora, nec pericardium, aut aneurysmatica, aut indurata, aut incrassata, cartilaginea, osseave, apparuerunt.

§. VII. Matrona annor. 59. me in Consilium vocat ineunte Aprili 1763. cum suis Medicis, expertissimis viris, *Hirsch*,

Hirſch, & *Prosky*. Hæc pluribus annis in *Hungaria* Metallurgorum vaporibus expoſita, pectore angi, ac tuſſire, vehementerque debilitari, ceperat. *Viennæ* nunc incola, a Menſe Januario haud ultra potuerat carpento vehi, imo ne vix quidem extra lectum ſedere. Ex eodemque tempore, præter pectoris affectuum augmentum, natum ſibi tumorem ajebat in infima, eaque ſiniſtra Epigaſtrii regione, haud procul ab umbilico, qui cum doleret violente, tum moleſte pulſaret. Pulſus in Carpo debiliſſimus. Utique internum quoddam Aneuryſma eſſe videbatur, cujus in viva vix eſſet determinanda ſedes. Poſt querelas moleſtæ hujus pulſationis, trium menſium ſpatio continuantis, mortua eſt.

Cadaver I. Maji aperuimus. Pulmones quovis in loco tuberculis ſuppurantibus pleni, hinc inde duri, pluri-

rimumque cum Pleura connati. Toto vero in corpore, ut ut anxie quærebamus, in Musculis Abdominis, in Omento, in Mesenterio, in Mesocolo, in Lumbis, ad Spinam, ad Aortam, Venamve cavam; nulla vitia deprehendimus, præterquam in loco dolente olim, ac pulsante. Nihil minus tamen quam Aneurysma erat. Scilicet Colon in indicata Epigastrii parte, longitudine latorum digitorum quatuor, diametrum habebat sesqui pollicis, cui amplificatæ portioni tanta utrinque aderat constringens angustia, ut aer, non nisi vi, per eandem impelli expellique posset.

Exangue ita hoc corpus, ut quamvis Aorta, Vena Cava, Arteriæ Iliacæ, aperirentur, nulla spongia ad imbibendum illum, & ad partes quasvis nude contemplandas, opus fuerit: ut profecto fatear me hujus vitæ ratio-

nem

nem æque parum intellexiſſe, quam in duobus illis, quorum Anatomen dedi *Rat. Med. Tom. VI. Cap. IV. Probl.* 1. & 2.

§. VIII. Maji 28. hujus anni ad me miſit, pro publica demonſtratione, Expertiſſ. *D. Päſmeyr*, laudatiſſimus apud ſanctimoniales *ſanctæ Eliſabethæ* Medicus, tumorem, quem ventre exemerat feminæ, in illarum Monacharum Noſocomio mortuæ, una cum hiſtoria morbi. Femina hæc 32. ann. ſesqui menſis ſpatio in illo Noſocomio jacuerat, incuſans forte præpoſteram, qua olim in *Hungaria* laboraverat, intermittentis febris ablationem, ut præſentis originem morbi. Tumor ventris ipſi durus erat, & æquabilis; tumida crura; urinæ paucæ; ſuperiorum emaciatio. Appetitus autem ſemper viguit. Urinam redditura, ventris potiſſimum vexabatur doloribus.

Al-

Alvus alterno die ſpontanea. Tandem macie confecta, ac ſummopere debilitata, moritur.

Tumidum hoc corpus ponderis inveni Librarum medicarum tringinta, exceptis 8½ unciis. Sedes ejus in Meſenterio erat, ac longitudine ſesquipedis medium inferiore ſua parte canalem, ſeu Cavum ſulcum, habebat, in quo Inteſtinum Ileum ſua media diametro collocabatur, connatumque erat; mox inde egreſſum Inteſtinum, & ab hac immenſa mole liberum, in colum abibat, quod cum ſua valvula ſimul ex corpore, cum tota mole, exemptum fuerat. Moles ipſa rotunda erat, inæqualis tamen multis prominentibus tuberibus, ſubſtantia conſtans hic ſteatomatoſa, illic cartilaginea, pluribusque in locis gerens hydatidas.

§. IX.

§. IX. Magnificus *D. Hazenöhrl* ſub finem anni proxime elapſi ad me miſit viſcera quædam hominis, qui in Noſocomio Hiſpanico obierat. Venerat ille, homo vino, vini ſpiritui, cereviſiæque perditè deditus, quadragenario major, ad ſe, curandus a crure, plusquam 50. in plagis ulceroſo; haud vero a ſuo tumido ventre; quem, quia incommodo multo ſibi non erat, niſi leviore, eaque brevi poſt paſtum, anxietate, flocci fecit. Appetitus viguit, & modicam vini portionem ſuis ſibi pecuniis in Noſocomio quotidie comparavit. Remediis ſolventibus eò pervenit, ut unico duntaxat in loco crus maneret ulceroſum, venterque una modice detumeſceret. Animo hilaris homo, viribusque pollens, ſuo tamen crure, quod fere curatum videbatur, uti potuit nunquam: id quod haud levem ulcerum cruris internorum ſuſpicio-

cionem injecit Medentibus. Nec frustra ſane. Crus enim gangræna ſenſim affectum, ſic ſua vaſa eroſa exhibuit, ut, quamvis inſtrumento tortili admoto munitus homo, a letali hæmorrhagia ſervari non potuerit.

Hepar ejus granuloſum, friabile totum. Lien quinque librarum, demtis unciis duabus, non morboſus, ſed ingenti adeo egens ſpatio, ut Inteſtina ex toto illo loco aliorſum detruſa jacerent. Pulmones ſaniſſimi, quamquam exulcerati exiſtimari in vita potuiſſent, unciis puris duabus quotidie tuſſi ejectis.

Plures anatomici Caſus ſunt enarrandi; aſt vero cum ſuis quique locis convenientius aptari queant, eosdem ad illa referam.



CAPUT II.

SISTENS PATHOLOGICAM PRIORIS CAPITIS DISCUSSIONEM.

§. I. *Ex iis quæ ſuperiore capite enarrata ſunt, evincitur incertum ſæpe id eſſe, ac non raro erroneum, quod ex determinato ſitu locatarum in toto ventre partium, ad Noſologiam, & Pathologiam formandam concludi ſolet.* §. II. *Eodemque pacto ſe habere id omne, quod ex duritie, ac tumore earundem partium colligitur: eo quod tum viſcera ipſa, morbo affecta, ſitum forte alienum ſua natura habeant, tum alia ab aliis loco turbentur, tum denique eorum tumores tantæ ſæpe molis ſint, ut longe a ſua origine percipiantur.* §. III. *Hydropem pectoris, quamvis aliquoties ſatis probabilem, haud infrequenter tamen eſſe ambiguum, penitusque fallentem ſic, ut vel minime adſit dum adeſſe credatur; vel*

dum

dum putetur abesse, adsit. Idemque de Hydrocardia affirmari oportere. §. IV. *Signa Phthiseos pulmonalis in vita adesse, cum Pulmone in Cadavere minime purulento.* §. V. *Aneurysmatis Diagnosim falle-re posse, origine pulsationis ac doloris ad longe aliam causam referenda.* §. VI. *Gastritis & sine vomitu, cum dolore; & sine utroque.* §. VII. *Paraphrenitis consuetis, imo pathognomicis signis, destituta.* §. VIII. *Nihil fallacius signis, quæ ex sanguine humano petuntur, & erroneum crebro judicium est, quod inde de natura humorum capitur.* §. IX. *De pulsu varia, maxime de eo Peripneumonicorum, utrum mollis, an durus sit?* §. X. *Seria in hæc omnia animadversio, & ad prudentiam exhortatio. De polypo quædam.*

§. I.

Ex quo ad docendam Medicinam in hac alma Universitate admotus fui, Auditores meos serio hortatus, perpetuoque, sum, situm in Cadave-

 ribus

ribus viſcerum notarent accuratè, quo in Noſologia, ac Pathologia rarius errarent. Quippe inter cetera morbos in Epigaſtrio diſcriminandi adminicula, etiam ſitas in illo partes tactu exploramus, idque merito; ſiquidem ad affecti cognitionem viſceris, partisve, multum conferat: non ita tamen, quin haud infrequenter, ni cauti ſimus, imponat nobis. Ut enim de meis prætéritorum annorum demonſtrationibus hic taceam; quid, quæſo, differentiarum in partium ſitu nupera non exhibuere Cadavera! In *Capitis I. §. I. & II.* hepar explebat totum ferme Epigaſtrium; in *§. III.* parva adeo jecinoris moles, ut in vivo tactu non potuerit percipi, & ut Colum cum Omento ac Ventriculo, Liene poſt hunc occultato, univerſum Epigaſtrium expleat: Deinde Splen in his tota facie in anteriora hæret, in illis autem poſt

ven-

ventriculum verſus dorſum: nonnullis infra coſtas unum, duos, ternosve latos, pluresque, eminet digitos, dum aliis penitus intra easdem recondatur. Tertio, ventriculum hi habent in ſiniſtra tantumodo Epigaſtrii parte, diaphragmati immediate ſuccumbentem; illi ab interpoſita ingenti Hepatis mole multum a diaphragmate remotum, qui forte hinc minus in vomitum proni, aptive. His quippe oeſophagus eſt multo longior: quam obſervationem noſtram vides a *Morgagni* confirmatam Epiſt 45. §. 16. „ Jecur, ait, „ maximum, ut ſiniſtrum quoque oc„ cupans hypochondrium, Ventricu„ lum deprimeret; itaque gulæ, in „ hunc deſinentis, portio ad transver„ ſos digitos duos, infra diaphragma „ apparebat. In quibusdam Menſuras 4. 5. 6. & plures capit; vix libram in aliis. Marſupii figuram ſæpe refert;

 non-

nonnunquam contracti, & contorti inteſtini formam æmulatur. Nonnullis eſt verſus Cordis ſcrobem, aliis verſus umbilicum directus. Quid quod ſæpe plus minusve ad dextrum hypochondrium; imo, ut pluries ante vidi, maxime anno 1752. in cadavere Excell. Comitis *Dhen*, *Danici* apud *Batavos* legati, nuncque iterum in *§. IV. Cap. I.* demonſtravi, usque ad coſtarum dextrarum arcum continuata amplitudine protendatur? Jam Inteſtinum colon quotiesne notabiles volvulos verſus renes, umbilicum, imo verſus ima pelvis, format, ut olim hic demonſtravi, & antea pluries videram?

Quæ omnia cum haud omnino raro ita ſe habere deprehendantur, quam circumſpectene oporteat agere in ſede morborum, ex ſolo attactu partium, determinanda! Quis in ventris torminibus in Colo potius, quam in Ileo,

ac

ac vice verſa, ex loco affecto dolorum determinet ſedem? Quis ſplenis, quis jecinoris, quis ventriculi morbos, dum reliqua ſigna ſæpe obſcura ſint, eo ex loco definiat, quem aut tumidum, aut dolentem eſſe, tactus deprehendit? Hepatis plura mala dantur, quæ nec Icterus, nec depravatus Corporis Color concomitetur. Cum facie pulchre florida hominem pereuntem vidi, cui præter pectoris Hydropem, Lien tota ſua externa membrana in denſam eſſet mutatus Cartilaginem. Et Ventriculus ſi dextram Epigaſtrii Regionem multum occupet, ſi umbilicalem; quotiesne Inteſtini ſive craſſi, ſive Ilei, ſive Hepatis affectionem mentiatur; ſi cætera ſigna dubia ſint, quæ Inteſtinorum morbos juvent interſtinguere? Nonne etiam citra ulla affecti Lienis criteria, tamen hoc viſcus in inflammatoriis pectoris morbis, capite ſu-

periore recensitis, bis repertum est una cum membrana sua in pultem conversum? *Cap. I. §. III. & IV.*

§. II. Sed ad alia nos vertamus. Quis ille, qui nobis rite determinet in vita tumores ventris, consimiles illi, quem prioris Capitis paragraphus descripsit octava? In Mesenterio inveniebatur ille intestino Ileo accretus: verum ejusmodi & Ren exhibuit monstrosus, ventrem in tuber prominens extendendo; degenerascens Omentum; monstrosum Ovarium, Tuba, Uterus; Hydatides de aliis enatæ tumoribus: ut quorum omnium frequens nostra demonstratio fuit in Tomis præcedentibus hujus operis. Quid quod ventre in medio monstrosa vesica urinaria imposuerit clarissim. *Morgagno*, instar uteri summe gravidi expansa, digitumque passim in substantia crassa, & Peritonæo sub umbilico accreta? Ideam

certe

certe longe aliam ſuæ naturæ, ſuæque originis, in vita dederat, quam reapſe eſſet. Vide *Epiſt. Anat. Med.* 39. §. 33.

§. III. Jamque Hydropem pectoris quod ſigna non arguerent in eo præſentem, qui *Cap. I.* §. *VI.* pericardii hydrope laborare inventus eſt?

Namque cum reſpiratione difficili & anxia, cum tuſſicula inani, & hypochondria tumuere, non tumente unquam ventre reliquo; & a Diarrhœa, ac Diureſi, mitius egit; & nocturnas paſſus anxietates in lecto eſt; & crura demum ipſi intumuerunt. Utique hic in mentem venit candor non minus, quam error exercitatiſſimi in Praxi Medici *Jo. Jac. Vicarii*, qui refertur a Cl. *Morgagni* Epiſt. XVI. §. II. jurare voluiſſe hominem Hydrope pectoris *infallibiliter* laborare „ cujus mortui aper„ to thorace, cum in dextro ſiniſtro„ que hujus cavo nec dragmam unam

 „ aquæ

„ aquæ aut seri inveniret, nunquam
„ satis laudanda ingenuitate mirabun-
„ dus exclamavit: Quam fallacia sunt subinde Diagnostica! Confirmavit eadem Epistola Vir magnus hanc fallaciam pluribus exemplis anatomicis; licet præter signa plura consueta, duo illa probabilia admodum signa adessent; anxietatum nocturnarum, & tumentium, post anxitates diu toleratas, crurum, manuumve.

Unde nec ipse Pericardii Hydrops, quem in hoc Cadavere §. *VI. Cap. I.* ingentem fuisse vides, suis ita stabilitus, atque confirmatus signis est, ut non fallat multoties. Eadem Morgagniana Epistola constat signa Hydropis pectoris solius, signa solius Hydrocardiæ, signa utriusque hujus morbi simul obtinentis, adeo confusa intersese in vita fuisse, adeo turpiter Medicos fefellisse, ut Cadavera aliud omnino ab

ab eo, quod creditum fuerat, exhiberent. Quæ enim ut Pathognomica nonnullis audiunt, verbi gratia, cordis veluti æquæ innatantis perceptio, ejusdemque palpitatio, hæc defuere non paucis eorum, quibus Hydrocardiam in vita adfuisse demonstravit Anatome; vel si adfuerit Palpitatio, alia longe vitia ad Cor, vasave majora, adfuisse deprehensa sunt. Verbo, hæc, & omnia signa, simul collecta, suspicionem formant, non efficiunt certitudinem: unde propriis meis convictus erroribus, facile ad quosvis consimiles morbos refero, quæ *Vieussenius* de Hydrothorace: „ Non tam facile „ esse, inquit, Thoracis hydropem „ cognoscere, quam aliqui credunt „ Medici, nimium sibi tribuentes, „ anatomen ignorantes, & qui nun„ quam putaverint Cadavera esse in„ cidenda, aut, cum ab aliis inciderentur,

„ tur, inſpicienda. „ Imo neque hoc ſufficit: videas enim, qui etiam cadavera incidendo didicerant multa, vel ob id in diagnoſi errare, quod ea, quæ ſemel iterumque in Cadaveribus obſervaverant, hæc iis omnibus adeſſe contendant, quibus ſymptomata, priorum conſimilia, obſervant adeſſe; ignari ſcilicet hujus veritatis, quod ſi longe plura cadavera incidiſſent, longe numeroſiores eorundem ſymptomatum cauſas didiciſſent; ut cogar ad *Vieuſſenii* ſententiam hæc præclara *Morgagni* verba adjungere: „ Nam qui „ plura inciderunt, aut inſpexerunt, „ Cadavera, *hi* ſaltem, cum *illi* minime dubitant, ipſi dubitare didicerunt „.

§. IV. Pluribus hujuſce meæ opellæ Tomis per multiplicem Anatomen demonſtravi, & *Benneti Theatro veſtibuloque Tabidorum* confirmavi, ſputa pu-

purulenta, eademque cum copiosa, tum diuturna, sæpe quidem vomicas, abscessus, tubercula designare pulmonum, haud raro tamen minime. §. *IX. Cap. I.* integerrimus deprehensus Pulmo, post quotidianam unciarum duarum puris excretionem, hanc utique observationem & experientiam confirmat. Ita ut tot exempla prudentiæ nos in Diagnosi admoneant, ne mortui veriora proferentes, ignominiam forte cum nostræ inurant, tum Artis, famæ.

§. V. Et quid de Aneurysmatis similitudine in pertinaci illa, eademque dolorifica, pulsatione memorem, quam pulsationem *Cap. I.* casus septimus Intestini coli, intercepta inter binas invincibiles contractiones amplitudine, genitam, credere nos cogit? Ut ut enim opponat quis Intestinum loco moveri, idemque impleri, ac depleri,

ob

ob idque illam ejus expanſionem, quod & loco mutabilis, & amplitudine varia eſſet, pulſationem cum perpetuam, tum loco immutatam, producere non potuiſſe; minime tamen negari poteſt, ſi ab una parte conſideremus coli inteſtini ſedem firmiorem eſſe ea reliquorum convolutorum Inteſtinorum; & ab altera parte eam coli inter conſtringentes binos, aëraque ægre transmittentes, annulos, tympaniticam plane redditam eſſe partem; negari, inquam, non poteſt, quin inde quæpiam ex Meſocolicis, aliisve vicinis, arteria, imo arteria in ipſa coli tympanitici tunica vaſculoſa, moleſte pulſare potuerit. Videtur eo magis hinc pulſus dolorifici deducenda origo, quo minus alia cauſa in tota vicinia invenienda fuerit. Profecto dantur Aneurysmatis æmulæ pulſationes, minime tamen ad illud referendæ. Hiſtoriam

haud

haud multo abſimilem olim retuli *Tom. IV. Cap. II.* §. *VI.* Dederat ſimilem *Ballonius conſ.* 107. *Libr. I.* Notabiliorem autem nondum novi eâ, quam memorat egregius *Morgagni Ep.* 24. §. 34. 35. Violenta quippe aſſiduaque pulſatio ad Præcordia, & ad Umbilicum, â quatuor retro menſibus percipiebatur; qua pulſatione majorem ſenſiſſe aut vidiſſe vix ille meminerit: cujus cauſam, cum reperire nullam aliam poſſet, præter quasdam conjecturas, Nervorum agitationi ſive irritationi merito adſcripſit.

§, VI. In *Gaſtritidis* Definitione, & validus ventriculi dolor, & repetens ad ingeſta quæcunque vomitus, continentur ſic, ut inter ſigna ejusdem Pathognomica recenſeantur. At vero in *Cap. I.* §. *IV.* in maximi ventriculi ampliſſima inflammatione, poſtquam ægra ad morbi primordia ſepties & vomuiſſet,

ſet, & alvum egeſſiſſet, non modo per integros fere quinque dies, quos totus morbus numerat, non vomuit, ſed nec nauſeavit; imo, quod plus eſt, omnia oblata abliguriens, ac ventriculum ſæpe replens, ſuum bonum appetitum cum ſæpius nobis teſtata ipſa eſt, tum experimento quotidiano nobis confirmavit. Unde non modo hic id pathognomicum ſignum abfuit, verum & adfuit contrarium, ac plane oppoſitum.

Sed poteſt utrumque pathognomicum deeſſe. *Rat. Med. Tom. VI. Cap. VI. de innuſtione cranii*, retuli exemplum Juvenis, qui ad mortem propemodum usque, nec ſigna Febris, Gangrænæve in pulſu, nec ſigna vel minimi doloris in ventriculo, nec ſigna læſæ cujusquam ventriculi functionis, mentis perpetuo compos, unquam habuerit; dum nihilominus ventriculus ore

ſu-

ſuperiore ſuo, initioque œſophagi, ſolito multo amplior, ſanguine ita cunctis in vaſis turgebat, ut nonnullis in locis hæc duarum, in aliis trium linearum diametrum haberent; quod forte ab antiqua ad vomendum diſpoſitione quis explicabit: ſed quod ſequitur, inde non deducet; purpereus enim totus ventriculus fundo erat ſuo, binisque in plagis tam interne, quam externe, gangrænoſus. An non evidenter hinc patet obſtructionem notabilem, ſævam inflammationem, vehementem adeo Gangrænam, ut totam ventriculi penetraret ſubſtantiam, citra dolorem, citraque febrim, formari? Bono cum appetitu adeſſe? Cum viſceris integra functione ſuperſtite perfici?

Simile quid ex *Valſalva* Illuſtris *Morgagni* habet *Epiſt.* 49. §. 14. Febris acuta maligna hominem perimit 14 die

„ nullo alio ſtipato ſymptomate, niſi „ quod æger de aſſidua animi inquie- „ tudine, & de vigiliis perpetuo con- „ querebatur. In Cadavere ventriculi „ fundus atro erat colore infectus. Hic igitur iterum ventriculi adfuit inflammatio jam in Gangrænam tendens, citra dolorem, citraque vomitum.

§. VII. *Paraphrenitis* hiſtoria, præter ſigna pathognomica inflammationis, habet quoque nauſeas, vomitus, delirium perpetuum, riſum ſardonicum, convulſiones, furores, gangrænam. Vide *Boerh. Aph.* 909. *cum Ill. Præſ. Comm.* Nihilo ſecius Caſus V. Capitis I. refert nobis hominem, qui die Febris acutæ quinto, Pleuritidis ſævæ altero, mortuus, Diaphragma habuit tam vehementer inflammatum, ut injectoria arte reddi non poſſit rubicundius, idque tum in muſculoſa ſua parte

te multa, tum in tendinea universa; paulo lævius quidem qua ventrem, graviſſime vero qua ſpectaret thoracem; quamquam 70. unciæ ſanguinis in ſex venæ ſectionibus, ſpatio 24. horarum, detractæ eſſent. Porro hic homo nec nauſeavit in morbo unquam, nec vomuit, nec niſi ſub mortem, non in morbo, deliravit, nec riſum ſardonicum habuit, ni velis levem oris contractionem ipſi morienti, ut morientibus multis minime paraphreniticis, contingentem, ad riſum hunc contorquendo referre: uti etiam nec convulſiones paſſus, nec furores eſt. Obſervatum eſt Diaphragma inflammatum ab omnia eo, quod ventriculum utcunque diſtendit, vehementer irritari ac dolere: noſter tamen homo multam copiam Oxym: ſquillitici cum Stibio non abluto & Aqua Hyſſopi bibit; copioſam valde aquam hordei cum

melle & nitro; præterea omni bihorio vasculum unc. iij. infuso-decocti pectoralis; sumsit quovis quadrihorio unc. vj. vjj. juris carnium cum cremore tartari: deglutiit denique vario haustu unc. xx. olei amygdalini recentissime pressi: nec testatus unquam est a deglutitis sibi pejus esse. Quis demum mortalium in hac Pleuritide fuisset unquam universi pene Diaphragmatis inflammationem suspicatus?

§. VIII. De fallacia signorum petendorum a sanguine humano quid multa commemorem! Patuit ex §. *IV. Cap. I.* si quod habitum de ejus natura consilium fuisset, die ab ejus extractione prima, cum integro bihorio, in vasis tribus, in loco temperato, quievisset; id sequenti die, contrariis omnino apparentibus ejusdem phænomenis, revocandum, prorsumque contrarium concludendum fuisse. Cujus equi-

equidem fallaciæ abunde memineram in *Rat. Med. Tom. I. Cap.* 6. *Tom.* 3. *Cap.* 3. & alibi paſſim, edendo multiplicia mea experimenta, quæ primum cum ſanguine centum & quinquaginta venæ ſectionum, ac dein cum alio numeroſarum ſanguinis miſſionum feci. Facit equidem mutationem in cruſta alba tenaci, in craſſamenti conſiſtentia, in ſeri copia, ac colore, limpiditateve, ſanguinis ſive jactus validus, ſive ſtillicidium; Lumen venæ magnum, parvumve; vaſis, in quod excipitur, planities, vel altitudo; fluidum per quod ex vena in vas tranſit, aëreum, aut aquoſum; ejusdem fluidi alterutrius calor, aut frigus; loci, in quo aſſervetur, a moderata aëris temperatura hinc, illincque, receſſus; calidi cruoris poſt miſſionem agitatio vel quies; morbi annive, tempus, ſexus, & ætas; hæc, inquam, omnia,

 ho-

horumque consimilia, miram ac stupendam phænomenôn sanguinis mutationem generare, ut alii affirmant, ita ego millies vidi: verum nullam in praxi regulam, aut legem, qualiacunque demum hæc experimenta mihi formare potuerunt. Quotiesne nobis visus est sanguis guttatim defluens crustam densiorem, firmiusque genuisse crassamentum, quam is, qui valido jactu prosilierat? Visus est, multoties repetito experimento, sanguis eodem jactu, eodem lumine vasis, in eadem aëris temperatura, in vasa exceptus sibi simillima, in uno ægro crustam densissimam tenacissimamque exhibuisse in primo & altero vase, in tertio, quartoque nullam: in alio ægro, in priore vasculo nullam, in binis tribusve, sequentibus magnam: in tertio homine in vasculo primo densissimam crustam, in altero nullam, ma-

xi-

ximam in tertio, in quarto pauculam: & alibi iterum in primo alterove vaſe nullam, validam in tertio, in quarto nullam. Atque hæc ita in variis ægris: Verum jam nulla memoratarum varietatum datur, quæ non in eodem ægro, in eadem venæ ſectione, eodem jactu (nam ſi ratione jactus, aut luminis, aut alius rei ante obſervatæ, mutatio contingeret, ad hanc, ut ad rem non facientem, non attendimus;) nulla, inquam, varietas datur, quam non obſervaverimus in ægris iisdem, ſive in varia, ſive, quod plus ſtringit, in eadem ſanguinis miſſione. Inverſa itidem, mutata, confuſa, omnia hæc phænomena ſæpius vidimus, dum quater, quinquies, & ultra, iisdem hominibus tundi debuerit vena. Et aliquoties quæ cruſta flava gelatinoſa cum diſſolutiſſimo craſſamento nobis apparuerat, moto ſanguine, iterumque

 re-

repoſito in quiete, denſiſſima facta eſt, ejusque tenax craſſamentum. Aliquando in eadem V. S. vas unum vixſciſſilem cruſtam, vas aliud gelatinoſam habuit. Ut profecto ſi Judicium de ſtatu ſanguinis ſeu craſſi inflammati, & non inflammati, ſeu e contrario ſoluti, judicandum foret ex miſſi cruoris conſpectu, ſententia altera alteram refutaret. Adde hiſce omnibus eam ſanguinis in varia miſſione inconſtantiam, ut ſine ullo ordine in prima miſſione inflammatus, in altera minime, in tertia cruſtam mucoſam habeat, in quarta tenacem, &, ut minus latine vocant, lardaceam; ordineque iterum aut mutato, aut plane inverſo in aliis ægris: ſic ut ſæpe nihil horum vel ad ſanitatem, vel ad mortem, vel ad humorum naturam determinandam, in Diagnoſi ac Prognoſi faciat.

Hinc

Hinc ad rem illustris *Morgagni*, ubi intempestive lætari dixerat Medicos „ qui cætera non attendentes, id unum „ spectant, tenuiorem aut nullam in „ sanguine esse crustam, quæ antea „ fuerat crassa " demum subjungit: „ Cave tamen ne vicissim iis in uni- „ versum assentiaris, quos ego ali- „ quando pronuntiantes audivi, si in „ hujusmodi morbis (Peripneumonia „ ac Pleuritide, de his enim agebat) „ sanguis secundo missus crusta careat, „ id adeo malum esse, ut si tertio mit- „ tatur, intereant ægrotantes.

Equidem non sunt hic erroris taxandi *Baglivius*, *Sydenhamus*, aliique, qui quibusdam Epidemicis in morbis simile quid observarunt; sed ii duntaxat, qui ex observatis Epidemiæ cuiquam propriis, Canones diagnosticos, prognosticos, ac curatorios condidere, in Sporadicis, imo aliis in Epidemiis, penitus fallaces.

 Quæ

Quæ si ita se habent, quis inflammationem absentem præsentemve; quis humorum aut coagulum aut dissolutionem, ex solo sanguine determinare ausit? utique si in eodem homine alia V. S. ab alia toto cælo differat; si in eadem V. S. adeo oppositissima sint phœnomena; quis inde de natura humorum aut possit, aut ausit, judicium ferre?

Neque est quoque ex solo conspecto sanguine vel ejusdem dissolutio in vere putridis, vel condensatio in inflammatoriis morbis, statuenda. In putredine summa, ac malignitate deleteria, sanguinem paucis ante mortem horis missum, mecum viderunt Auditores, primum quidem tenacem in parte rubra, & crusta tectum inflammata; in altera missione omnino bonum. In Petechiis ac Miliaribus, symptomaticis scilicet eruptionibus illis, quas rarissimas nostrum Nosocomium habet,

Au-

Auditoribus meis ter, quater, plurium annorum decursu; demonstravi sanguinem cum crassissimum, tum crusta tectum inflammata. Et *Valsalva*, & *Morgagni*, ut dissolutum, ita sæpe tenacem, imo tenacissimum, & crassa crusta tectum, deprehenderunt, ut ex *Epist.* 49. liquet: narratque posterior in Febre quasi pestilenti, quæ *anno* 1731. agri Patavini partem infestabat, sanguinem, primo febris hujus grassantis tempore, ut plurimum dissolutum; progressu vero temporis, perseverante eadem constitutione, nimis concretum apparuisse: nihilominus & in principio hujus constitutionis, cum sanguine dissoluto; & in decursu ejusdem, cum cruore concreto; homines peticulis laborasse: imo si, quo constitutionis tempore sanguis solebat esse concretus, quibusdam de vena prodiret solutus, his tamen, haud secus quam ce-

ceteris, contigiſſe Petechias. Unde concluſere, „ conjungi cum maligna „ vi *ſolutivam*, aut *coagulativam* ſangui- „ nis; in neutraque harum malignita- „ tem conſiſtere; præſertim cum al- „ terutram in tot aliis, qui maligni „ non ſunt, morbis videamus. Adjungam ego id eo evidentius adparere, quia multis non modo in eodem morbo, verum etiam in eadem V. S. ſanguinem partim compactum, partim ſolutum apparere, evictum ſit.

Fateor nodum ſolutu difficillimum mihi hoc ultimum phænomenon videri, & magis nos magisque convinci de intricata, atque non ſufficienter hucusque intellecta, ſanguinis humani hiſtoria. Intricatiorem forte adhuc reddet obſervatio, quam habui, ægri, cui elabens de tunſa vena ſanguis brachium frigore intenſo afficeret. Cum præſens non eſſem ſanguinem explora-

ra-

rare, dum flueret, non potui: minus tamen ejusdem verum frigus miratus fuissem, edoctus a clarissimo, quem toties jam laudavi, Viro, historiam feminæ, quæ olim sanguinem suum menstruum experta calidissimum, nunc *Mediaviæ*, „Medico suo, testaretur bis in
„ mense omnino frigidum fluxisse;
„ fidemque suo testimonio inveniret,
„ cum ipsa, & chirurgus spectatæ fi-
„ dei, æque ac experientiæ vir, san-
„ guinem, vena stillando exeuntem,
„ eademque die iterum pede missum,
„ & ipsa sensu, & ille tactu, gelidum
„ deprehenderint: id quod parumper
„ mutabatur, dum sequenti die san-
„ guis ex brachio ac pede, uno eo-
„ demque momento educebatur; cu-
„ jus an causa suppressioni ac suffoca-
„ tioni pulsuum, quæ aderat, adscri-
„ benda sit, relinquo discutiendum.
Hæc mulier deinde febribus variis, do-

lo-

loribus vagis, convulſionibus, pecto-ris anxietate, larga V. S. ſæpe oppug-nandis, multum conflictata, triennio ſat bene vixit: deinde redeuntibus ſym-ptomatibus largiore ſanguinis miſſione ſæpius liberata eſt: manente tamen aſ-ſiduo in ventre glaciei ſenſu, qui cum inde ad pectus adſcendit, eam affert reſpirandi difficultatem, ut continuo ſanguis, nec modica copia, mitten-dus ſit.

§. IX. Et qui demum veri pulſu-um ſint in Peripneumonia Caracteres, paucis examinandum eſt. Hunc pul-ſum *Hippocrate*, quia de pulſibus non adeo multa habet, non deſcribente, *Ga-lenum* de eo conſulamus neceſſe eſt. *Libr. IV. de cauſis pulſ. Cap. XII.* „ Pe-„ ripneumonicorum, inquit, magnus „ eſt pulſus, & languidus, mollisque „ ſimiliter, μαλακὸς, atque Lethargico-„ rum pulſus: niſi quatenus præpol-

let

„ let inæqualitate, & in uno pulſu, &
„ collectiva, quam vocant. In uno
„ ictu, cum veluti interpellatur, &
„ undoſus eſt, & dicrotus interdum
„ fit; in collectiva, cum alias diffe-
„ rentias habet, tum modo quidem
„ intermittit, modo autem intercur-
„ rit. Mollitiem deinde explicat *Galenus* ex eo, quod cum laxum ac molle & undique vacuum viſcus ſit Pulmo, non niſi a pituitoſiore & craſſiore ſanguine inflammari queat. Cum autem pulſus Dicroti antea meminiſſet, jam ait rarum Peripneumonicis eum eſſe, quod Dicrotus fere ſemper quandam requirat vaſis duritiem, quæ ex pituitoſa fluxione contrahi non ſolet. „ Eſt autem, inquit, bilioſioris
„ ſanguinis opus cogere, ſiccare, ten-
„ dere & exſiccare: qui bilioſior ſan-
„ guis quandoquidem minus ſæpe
„ pulmonem infeſtat, manifeſtum eti-

am

„ am eſt raram fore pulſus duritiem;
„ quod ſi ſic, rarus quoque ipſis bis
„ feriens pulſus.

Quo fundamento *Galenus* hic ſuum ratiocinium ſuperſtruxerit, ignorare me fateor: nihilominus *Galenum* tantæ in Medicina autoritatis fuiſſe, ut inter centum, quos forte conſulueris, Autores, vix paucos reperias, qui illum, plus minus, non ſequantur, eſt quod vehementer mirer. Plerique etiam graves in arte viri, in definitione & aitiologia Peripneumoniæ tradendis, hi *Galeni* textum recenſentes, illi, ne nominato quidem *Galeno*, veluti propriam ſententiam referentes, ſententiam Galeni proferunt, ac ſtatuunt ex amuſſim. Hinc inde reperias, quem explicatio *Galeni* de pulmone, non niſi a pituitoſiore cruore inflammato, offendat quidem, qui tamen a *Galeni* definitione de pulſu molli ne latum quidem

dem unguem recedere ausit: Cujusmodi v. g. *Ludovicus Mercatus* fuit. Invenire alios est, eosque haud plane paucos, qui de Peripneumonia agentes, de pulsu, num veriti scholas? ne meminerint quidem; ut v. g. *Langius.*

Sunt præterea, qui quidem in Peripneumoniæ definitione pulsuum non meminerint, sed dum alia occasione pulsus mollis explicandus venit, eum sic Peripneumonicorum esse dicant, quemadmodum Pleuriticorum est, dum suffocata fere respiratione Cor sinistrum paucum modo cruorem accipiat; vel ut Phreniticorum est, quando, vi inflammationis Meningum, origines nervorum comprimuntur sic, ut nervi vitales languescant. Sic celeberrimus *Russiæ Archiater J. de Gorter in Comp. Med. Tract.* 47. §. *III.* Tandem nonnullos deprehendas, quos propria ex-

experientia compulerit durum in Peripneumonia describere pulsum: quos inter candidior nemo *Felice Platero*, quem in hæc verba ut erumperet veri stimulavit amor: „ Uterque affectus, „ Pleuritis, ac Peripneumonia, cum „ horrore vel rigore incipit, subse„ quente febrili calore, quo corpus „ ipsorum nonnihil accenditur: re„ spiratio concitatur, uti & pulsus, „ arteriâ durâ, & Serræ instar, aspe„ râ ad tactum (quem tamen pulsum „ mollem, seu undosum, in Perip„ neumonia privatim esse putant) „ se offerente. *Tom. I. Cap.* 10.

Profecto, ut *Platerus*, rem ego inveni plerumque, nec quanto tempore Medicinæ docendæ admotus fui, alio modo in scholis docui. Et quid ni? ubi ingens Discipulorum, lectis ægrorum mecum circumstans, corona, pulsum in hoc morbo durum, &

ra-

rariſſime tantum non mollem, mecum deprehendat? Quid, quod hoc anno omnes Peripneumonici confirmarint? ſic ut inter tantos ſive juniores medicos, ſive adultiores ſtudioſos, ne unus quidem extiterit, qui non vere durum eum eſſe affirmaret? Ejusdem experientiæ ſocium appello *Cl. Morgagni*, qui ubi *Epiſt.* 20. ſimilem *Valſalvæ* obſervationem retulerat, deinde proprias ſuas *Epiſt.* 21. enarrat, quibus conſtat pulſum in morbo durum illis fuiſſe, quos vera Peripneumonia periiſſe eorundem Cadavera demonſtrabant.

Forſitan arbitrari quis poterit pleraſque meas, non ſimpliciter Peripneumonias, ſed Pleuroperipneumonias fuiſſe, quæ ratione doloris Pleuritici durum pulſum tangentibus obtulerunt. Sed regero illi principem morbum, in deſcriptis Capite priore

 ægris,

ægris, fuiſſe Peripneumoniam, adeoque morbi principis Caracterem gerere pulſum debuiſſe. Et dum in nonnullis notatum ſit durante Peripneumonia pulſum durum fuiſſe ſilente dolore, an ſaltem ſic non pateat Peripneumonicis pulſum durum adeſſe?

Nunquamne igitur mollis in Peripneumonia pulſus? Eſt ſane, ſed malo ægri omine. Videte *Boerhavium*: adjungite *Jll. L. B. van Zwieten* Commentarios. Mollem pulſum inibi non inventuri eſtis in Peripneumoniæ definitione, quemadmodum pulſum durum invenitis notatum in Definitione Pleuritidis; ſed in morbi, in prava ac deſperata ruentis, deſcriptione duntaxat: eo nimirum in morbi ſtadio, in quo Pulmo magnam partem impenetrabilis, paucum cruorem, cum crudo ægrorum alimento, potuve, imperfecte miſtum, per nonnulla vaſa

ad-

adhuc aperta, cordi ſiniſtro, ad continuandum qualemcunque humorum circuitum, transfundit. Hicque modus quoque *Morgagno* eſt explicandi, quomodo ineunte Peripneumonia pulſus durus eſſe debeat, & quo pacto dein, obſtructo, magis præ inflammatione Pulmone, mollis fiat. *Ep.* 20. §. 38.

An non credibile *Galenum* incidiſſe, dum ejusmodi definitionem animo meditaretur, in eam Peripneumoniam, quam *Notham* nunc appellitamus, & quæ eodem cum Vero olim nomine comprehenderetur? An ſaltem in provectam jam Peripneumoniam veram? Neſcio qui rem alias explicem. Saltem cum quotidiana experientia pulſum peripneumonicorum & mihi, & aliis, durum exhibeat, terminabo hanc paragraphum nonam ſententia Jll. *Morgagni* Epiſtola mox laudata: " Hoc

„ tantum dico, inquit, pro varia ſan-
„ guinis, & corporum, Pulmonum-
„ que in primis diſpoſitione, vario-
„ que modo, quo in his illius conge-
„ ſtio accedit, veriſimile eſſe variari
„ ſigna; ut modo præcipua omnia,
„ aut pleraque inflammationis indicia
„ occurrant, *idque ut plurimum*; mo-
„ do nulla ferme illorum, aut etiam
„ contraria, ut cum pulſus rarus eſt;
„ denique nulla interdum, ſed pulſu
„ tamen plus minusve frequenti.

§. X. Quo porro omnis hujus ſecundi capitis ſermo tendat, facile capiet quisque. Si enim 1mo ita variet multorum in ventre viſcerum inter ſeſe cum magnitudo, tum ſitus, etiam in ſtatu ſano, ut exploratione ſæpe, quodnam illorum patiatur, determinare aut arduum ſit, aut impoſſibile; imo ut aliud eorum alius occupet ſedem: ſi 2do præter affecta, quæ noſ-

cun-

cuntur viſcera, inveniantur alia, quorum affectorum nulla in vita ſigna conſtiterant, pejus affecta, quam quorum conſtiterant; ut v. g. in inflammato pulmone Lienis corruptio, bis hoc anno reperta talis, ut una cum ſua membrana in pultem ruffam deliqueſceret, intraque digitos difflueret totus: Si 3^tio ipſa viſcera morboſa ita mole ſua, mutatoque præ aucta mole ſitu, imponant, ut Meſenterii tumor, ut Ren exorbitans, ut Veſica urinaria, Uterus, Tuba, Ovarium, eundem ſæpe locum occupantia, veris ſignis pathognomicis, quibus quid demum ſit innoteſcat, plane deſtituantur: Si 4to Pectoris Hydropis, omnia a Practicis celeberrimis requiſita ſigna ferentis; Si Hydropis Pericardii; ſi topicorum ad vitalia vitiorum Diagnoſes, vel exercitatiſſimos fefellerint: Si 5to frequenter admodum ſuppurati pulmonis Diagnoſim

pulmo a morte integerrimus erroneam oſtenderit: Si 6to interna Aneurysmata, quæ vivis adeſſe putaveramus, in cadaveribus deſiderentur, longeque aliud præ illis referant indagantibus: Si 7mo Gaſtritis, ac Paraphrenitis, absque vomitu, imo potius cum perſeverante appetitu, & cum magna, minimeque coacta liquidorum ingurgitatione homines perimant; imo Gaſtritis ſine vel vomitu, vel dolore verti queat in Gangrænam: Si 8vo Hiſtoria humani ſanguinis ita obvelata nobis eſt, ut experimenta in uno eodemque morbo, imo in eadem cruoris detractione, prorſum contrarias videantur formare indicationes: Si denique 9no in Peripneumonia, frequenti adeo ægritudine, Viginti & ultra Sæcula necdum veram pulſus definitionem, quæ ab omnibus admittatur, exhibere potuerint; profecto Diagnoſes morbo-

rum,

rum, ut ut ſæpe veræ, & adæquatæ, nihilominus non raro toto cælo fallunt; & Noſologia adeo imperfecta hucusque habetur, ut exceptiones cum multas, tum notabiles, patiatur; proindeque eam ordine Botanico in Claſſes, Ordines, Genera, ac Species reducere, fruſtra quis tentet; præterquam quod ſpecierum in infinitum fere excreſcat numerus: qua enim methodo undecim enumerantur Epilepſiæ v. c. ſpecies, eadem ipſa 250. imo plures numerare ſpecies poſſum.

Audire quidem mihi videor qui amare conquerantur, eo modo, quo pluries in præcedentibus hujus operis tomis, quo denuo in hoc nono, pergo, Medicinam a me incertiorem reddi; a me, ſcilicet, cujus foret, proprii vi muneris, eandem Tyronibus reddere quotidie certiorem. Hos autem rogatos velim, quo demum pa-

cto Artis exoptent certitudinem? An suffocando Naturæ vocem, quæ ut aliis, sic & mihi, eam falsam esse clamet, quam hucusque credideramus, certitudinem? Agnoscant saltem Medicam Artem natam esse sedula, atque attenta observatione eorum, quæ in morbis apparuerant, quæ in Cadaveribus detecta. Quæ sæpe visa regulam quandam formare contendebant; ast ea, quæ non raro fallebant, arctos adeo limites nostræ circumscripsere Arti, ut non infrequenter formata antea lex cessaverit talis esse. Certiorne igitur Ars erit, si quod toties Cadaverum lustrationes nos moneant, supprimemus; ne semel, dudumque receptas opiniones, ac scholarum systemata, quæ ad multa explicanda multum, ad plura parum, aut nihil faciant, labefactentur?

Vim-

Vimne eam inferre veritati poterimus, ut ea haud amplius vera ſint, quæ contra receptas opiniones nobis palam Cadavera clament? Profectò hi, qui nihil prius veritate habent, ægre non ferent me medicinam non aliam tradidiſſe, quam eam, quæ minime a ſyſtemate, opinioneve, verum ab ipſa Natura depicta, deſcriptaque fuerit.

Termino hoc caput, de Polypoſis concretionibus, quas *Capite* primo plures enarravi, nihil omnino memorans; ſiquidem *Tom.* 2. & alibi ſatis clare, opinor, demonſtravi eos eſſe paucos, qui inter morborum cauſas referantur, Polypos; cujusmodi ibidem unicum deſcripſi: plerosque vero ſanguinis diatheſi phlogiſtica in morbis gigni, aut a conquaſſante, ac palpitante Corde, in ſanguine fere quieſcente fabrificari. Si enim quis omnes Denatorum polypos, veluti totidem morborum cauſas, con-

conſiderare velit, utique cunctas mortalium ægritudines iisdem adſcribat oportet. Non attenderet idem millies polypoſas Concretiones eorum in Cadaveribus reperiri, qui uſque ad paucos ante mortem dies ſaniſſimi, nullam unquam earundem dederant ſuſpicionem: neque conſideraret quotiescunque polypos invenire datur, toties alias, cum varias, tum manifeſtiores morbi, mortisque cauſas, deprehendi. Hæc quemadmodum ante tot annos & ſcripſi, & publice ſemper docui, gaudeo ab egregio *Morgagni* & ſuis, & *Valſalvæ* obſervationibus, ubique, abundeque, confirmari.



CA-

CAPUT III.

DE MILIARIBUS.

§. I. *Miliaria hoc anno in Nosocomio nulla. An quod extincta Viennæ? Minime, sed quod eadem non fabricemus.* §. II. *Repetitio antiquæ conclusionis, quod Morbus miliaris non sit Austriæ endemius, sed passim factitius. Multorum clarorum in Arte virorum sententia id confirmatur.*

§. I.

In tomo hujus operis *octavo* Anacephalæosin dedi cunctarum observationum, quas super hac materia eousque feceram, quasque *in Tomorum plurimorum variis*, in *Thesibus de Febribus*, & in *Epistola ad Amicum*, communicaveram. Lætus deprehendi discipulorum animos nunc minus esse agitatos, minus circa famosam hanc quæstionem in-

inquietos; ita quidem ut ineptas quorundam calumnias potius, quam objectiones, tanquam ultimos agonizantis erroris gemitus considerarent; ad quas qui responderet, nimio profecto & immerito easdem honore decoraret.

Animus fuisset novas forte Observationes edere, cum per integros septem & ultra menses in Nosocomio præter morbos acutos fere nihil, aut parum saltem, demonstrarim. Verum in tanto Acutorum numero ne unicus quidem fuit, quem sive Petechialia, sive Miliaria Exanthemata, infecerint. Quin nec toto hoc anno contigit, ut ad consultationes in urbe, suburbiisque, advocatus; advocor autem crebro; in ægrum vel unicum inciderim, quem alterutrum horumce macularet Exanthematum, nisi semel forte Miliarium principium, quod ilico suffocabatur.

Igi-

Igiturne, rogabit quis, extinctus demum *Viennæ* eſt infamis hic Morbus? Minime: nam & illum crebrum viderunt Medici Exanthematum fautores, genitoresque: perierunt cum illis complures, hos inter autem ſenex, quem non alterutrum, verum utrumque hoc exanthematum genus corripuerat; peritura forſan & illuſtris virgo fuiſſet, niſi clarus ſuperveniens Medicus Miliaria in eadem regimine calido, calidioribusque Bezoardicis, jam genita, eodem artificio, eademque fortuna pepuliſſet, quibus *Sydenhamus*, conſentientibus Medicis aliquot aliis, Collegam ſuum *Morice* a Petechiis liberabat. Quod vero neutrum horum in meo Noſocomio habuerim, id pro parte ſaltem ei tribuendum cautelæ cenſeo, qua nullos hoc anno ægros ex aliis Noſocomiis mihi conquiſiverim; ægris autem pro demonſtratione vario-

rum

rum Acutorum morborum egens, curaverim ad me illos adferri, qui acute laborantes ad certam ſemper horam ad Noſocomium Hiſpanicum aut afferruntur, aut ipſi adhuc accedunt, antequam cæteris cum ægris commiſceantur. Non quod ejuſmodi cautela omne Exanthematum periculum excludat; domi enim eadem ſibi pravo Regimine conſciſcere poſſunt, priusquam ad Noſocomia deferantur; ut vel hinc Miliaria nonnunquam ad Nos detulerint: tamen juvit, quo minus periculi incurreremus, pauciores ad id habere occaſiones.

Cur vero apud ægros, ad quos conſultationis ergo vocor, necdum exanthemata viderim, hanc ejus cauſam reor, quod hæ Conſultationes magnam partem apud ejuſmodi ægros haberentur, quorum Medici vel ejuſdem mecum ſententiæ de Exanthematum ori-

gine

gine essent, vel eo saltem devenissent, ut sua Methodo eadem non generarent,

§. II. Repeto igitur antiquam meam Conclusionem eo confidentius, quo magis video nullo solido ratiocinio, nullo rite capto experimento, ab iis, qui contra clamitent, refutari aut infirmari posse, & quo experimentis meis propriis eandem reddo firmiorem: scilicet, si Petechiæ & Miliares eruptiones sint morbi hic loci endemici, oportet eos apud ægros, quos vel in Nosocomio tracto, vel in urbe video, quoque familiares esse; sicut quidam Medici eos apud suos ægrotantes familiares reperiunt. Atqui olim valde raros, toto hoc anno nullos ulibi habui. Ergo hæc Exanthemata non sunt endemia, sed a causis alibi positis oriuntur, quas nos non ponimus.

Quod ego experior, idem clari mecum viri dudum experti ſunt, ut publicis teſtimoniis conſtat. Dantur præterea quorum necdum nota teſtimonia ſunt. *Exp. Cramer*, digniſſimus ad *Leythæ Pontem* Phyſicus, ſtudii naturalis univerſi, ac præprimis Ornithologiæ, ac Botanices cultura eximia clarus, diſſertationem meditatur, ex ſua numeroſa praxi petitam, qua ea, quæ ſtatuo ego, abunde ſit confirmaturus.

Nec deſunt clari aliarum Regionum Viri, qui quo attentius rem contemplantur, eo magis ſe mecum aſſentire aſſeverent: imo dantur, qui in annoſa ſua praxi nunquam aliter, quam ego, de miliaribus cenſuerint. Teſtem produco celeberrimum Virum, *Meinungenſis* Civitatis Phyſicum ſeniorem, Doctiſſimum S. G. *Kölderer*, qui Epiſtola 10. Oct. anni 1763. ad me da-

ta

ta referens quaſdam ſane egregias cortice peruviano patratas a ſe curas, tandem ſubjungit: „ Jam aliquot ab-
„ hinc annis in *Ehrhardtiana œconomia*
„ *Plantarum Hiſtoria, Tomo X. pag.* 135.
„ *& ſeq.* ad cujus operis a quinto to-
„ mo continuationem me, poſt lau-
„ dati Autoris obitum, Typogra-
„ phus compulit, occaſionem arripui
„ demonſtrandi, quam certo, quamque
„ facili negotio Febres malignæ, quæ
„ anno 1759. hic graſſabantur, quæ-
„ que maximam partem aut Parotides,
„ aut Bubones, aliisve in locis Tumo-
„ res, paſſim vero Petechias & Milia-
„ res, ſibi adjunctas habentes, curari
„ vix poterant; demum unice, ſive
„ Cortice peruviano, ſive ſaltem ejus-
„ modi Medicamentis, quibus Exan-
„ thematis, altero tertiove morbi die
„ confertim prorumpentis, eruptio
„ impediretur potius, quam pro-

G 2 mo-

„ moveretur, curarentur. Nun-
„ quam enim Exanthemata ſimilia
„ exiſtimavi critica eſſe, at vero
„ perpetuo ſymptomatica, diſſo-
„ lutionisque putredinoſæ humorum
„ certiſſima ſigna: ubi tamen, proh
„ dolor! conſueta Methodus (die
„ Mode-arzeny, ſcribit) nihil aliud
„ quam Exanthematum clamet ex-
„ pulſionem; quo ex fonte quot
„ non prodierint Calamitates!

Ut celeberrimus hic Autor, ita clariſſimus *Klein*, eruditiſſimus *Allioni*, experientia & eruditione clarus *Valcarenchi*, eximius *Glaſs*, magnificus *Hazenöhrl*, egregius *Lautter*, cenſuerunt; brevique cenſebunt publico teſtimonio plures. Ut hæc doctrina, cujus in ſalutem publicam, ſuſcepta defenſio tot inimicitias in me, tot calamos viru-

len-

lentos, totque atroces calumnias ideo excitavit, quod contradicendi libido, quæ justa essent, non inveniret, nunc demum sarta tecta esse videatur; illoque me gaudio expleat, quod unicum verumque sit patrocinii veritatis præmium.

Quo igitur animo expertissimus hujus urbis Practicus, Medicus aulicus, excussa hoc anno apud *Krüchten* Disquisitione *De Miliarium Exanthematum indole & tractatione*, antiquum errorem statuminare tentaverit, non satis capio. Dicta fuerant, & ad nauseam usque repetita a variis, tum & sæpius a me refutata, pleraque eorum, quæ, veluti nova, profert; & si qua recentiora exempla propria de praxi retulerit, facile quisque per se vidit ea ita ambidextra esse, ut negantem æque juvent, quam affirmantem. Ea enim hoc sæculo Experimentorum usus est,

ut non id dicas, quod experimenta loquuntur, ſed id eloqui experimenta jubeas, quod ipſe intendis: de his autem latius ſequenti capite in alia materia. Ne ederet opuſculum ſuum, pluries ſerio monueram; quippe me, ut nullis aliis, ita nec illi, pro excuſſo fere patrio errore militanti, minime parciturum. Igiturne refellam opus? Honore dignus Autor eſt, laudandus Practicus, meus Amicus. Sui quoque Conaminis, ubi mea, quæ non legit, attentius perlegerit; ubi annoſior mea confirmata viderit; ipſum vehementer pœnitebit. Sat igitur refutatum relinquo.



CA-

CAPUT IV.

DE SYSTEMATE HALLERIANO.

§. I. *Partes ſenſibiles quæcunque, haud raro inſenſibiles apparent. Modificatio Jll.* Morgagni *admittitur quidem, ſed conditionaliter, & non, niſi ſecundum ejusdem viri illuſtris explicationem. Quod ſi Modificatio eadem ſimpliciter admitteretur, nihil omnino novo Syſtemati faveret.* Fabricius ab Aquapendente, & Valſalva, *maxime autem olim* Aretæus, *tendines, ligamenta, ac perioſtea, partes ſenſibiles eſſe experti ſunt; hanc vero earundem ſenſibilitatem in Arthriticorum cadaveribus* Morgagni *demonſtrat.* §. II. *Contra conſuetas obſervationes, dantur notabiles puris confectiones citra febrim, vel citra dolorem, vel etiam citra utrumque, in omni hominum temperie, ætate, & ſexu.* §. III. *Inflammationes diriſſimæ Ventriculi, Inteſti-*

testinorum, &c. eædemque mortiferæ, aut sine dolore, aut sine febre, aut etiam sine utroque. §. IV. *Resumitur quæstio de Pleuræ sensibilitate, occasione Cadaveris* Pleuritici, *in* Nosocomio *demonstrati.* **Pulmo** *inflammatus hepaticæ duritiei plerumque invenitur, rarius mollis ac rubicundus. Quia Pulmo in morbis pectoris inflammatoriis affectus esse deprehenditur, consequitur quidem id, ut nec Pleuræ, nec Intercostalium musculorum, Inflammatio hominem illæso pulmone occidat; haud vero id, ut solus Pulmo & sedes doloris sit, & mortis causa. Viros illustres,* Valsalvam, *ac* Morgagnum, *perperam ab* Exp. Tyssoto *suas in partes trahi, 72. exemplis demonstratur; quæ inter 14. sunt cum inflammata pleura, & 17. cum* indolente *pulmone. Musculorum intercostalium examen cum in omnibus hisce anatomicis exemplis desit, non imperfectam modo, sed & nullam, redderet omnem* Tyssoti *conclusionem; etiamsi nec* Morgagni *nec* Valsalva, *nec ego, quidquam haberemus ejus argumentis opponendum: habemus autem pluri-*

rimum. §. V. *Inconſtantia incomprehenſibilis, & ſtupenda Contradictio ſyſtematis Halleriani, dum* Tyſſotus *1mo mendacia ſtatuit eſſe cuncta Jll.* Halleri *de inſenſibilitate Pulmonis experimenta; ob idque, quid de reliquis illius experimentis judicandum, unicuique integrum facit: 2do dum ſyſtema hoc in Canones format, inter ſeſe mirifice repugnantes.* §. VI. *Irritabilitas Cordis talis, qualem ſtatuit* Hallerus, *& ipſo eo Autore, & Morgagniani Operis 170. experimentis, funditus ſubvertitur. Exploſit præterea* Morgagni *experimentorum in Brutis captorum adplicationem ad Corpus humanum.* §. VII. *Concluſio hujus Capitis.*

§. I.

In opuſculo *Difficultatum* ſuper hoc ſyſtemate, in eo *Vindiciarum* contra *Illuſtris Halleri* Apologiam, in *Gallica ad amicum Epiſtola*, ſparſimque hinc inde, conatus fui hujusce patefacere infirmitatem. Roborarunt ſententiam de eo-

dem meam cum illius Autor ipſe, qui quo ulterius in eo defendendo pergit, eo ſeſe mutabiliorem, incertioremque, etiam in præcipuis ſuis fundamentis, oſtendit; tum ejus Defenſores, qui, quo illud ſyſtema tueantur, in multis ab Autore recedere, plura ejuſdem experimenta infirmare, quædam ridicula rejicere, abſurdioraque rejectis coguntur ſubſtituere.

Sufficienter proinde meas in hac refutatione egiſſe partes mihi videor: attamen cum dies diem doceat, & quotidie nova obſervemus Hallerianis adverſa, quædam abs re non erit prioribus addidiſſe.

Homo, cujus morbi, & ſectionis, Hiſtoriam dedi *Cap. I. §. VI.* geſſit in ſuo Rene dextro monſtroſo ultra mediam libram Calculorum omnis figuræ, nec doluit tamen inde, tum quo tempore primum apud nos erat, tum

eo

eo 40. dierum ſpatio, quo urbem ac ſuburbia tranſcurrendo doceret, voluntariasque adderet exſpatiationes.

Ren, inquit, Cl. *Hallerus*, inſenſile Viſcus eſt. Sed quis hoc præter illum? Juxta ejus ſyſtema a *Tyſſoto* elucidatum, quo duriores in corpore partes, eo inſenſiliores ſunt; eo ſenſiliores, quo molliores. Ren porro durus non eſt, ſaltem non utero, qui ſenſibiliſſimus, durior. Ergo Ren ſentit. Et quem Experientia in vivis haud ſecus, quam inciſiones mortuorum erudierunt, perilluſtris *Morgagnus*, quotiesne Renes ſenſiles declaravit? Quam non ſenſilitatem horum quotidianæ lamentationes Renum Calculo laborantium declarant!

Aſt Experimenta Renum teſtantur inſenſibilitatem, ais. Bona verba! Experimenta bene capta exhibere nudam deberent veritatem. Id vero moris

ris non eſt. Vidimus *Cap. II.* Peripneumonicorum durum pulſum debuiſſe mollem dici, quo Galeni ſervaretur Autoritas. Vidimus *Cap. IV.* experimenta Miliarium eruptionum criticam eorundem indolem teſtari debere, dum id ita Patroni illorum juſſerint. Nunquam vero magis id, quam in Irritabilitatis ſyſtemate eluceſcit, ut, quod præoccupatus ſyſtemate animus juſſerit, id eloquantur experimenta.

Demus vero paulisper eſſe indolentes Renes; num tamen homo noſter dolere non debuit a finitimarum Renibus partium compreſſione? Meſenterii ſcilicet, Inteſtinorum, Nervorum ex vertebris oriundorum, Muſculorum Pſoæ, Quadrati lumborum, Iliaci interni, partium utique omnium ore ſenſibilium? Verum ut ex hiſtoria patuit, nihil toto, quo dixi, tempore doluit, ne a motu quidem validiore,

re,

re, nullumve impedimentum in motu cruris dextri expertus eſt.

Equidem *Cl. Morgagni*, qui taciter ac reverenter, in ſuis Epiſtolis Anatomico-Medicis, Modernorum ſyſtema exploſit, hinc inde ejuſdem abſurditates obvelare, ac emollire ſatagens, ſic ad hanc difficultatem reſpondit, ut ſubito nati tumores dolorem quidem viciniæ ſuæ ſenſibili creent, minus vero qui ſenſim, lenteque; eo quod hæc compreſſioni pedetentim aſſueſcat, ac ſenſim quandoque occaleſcat.

Modificationem hanc ea lege admitto, ut ſaltem 1mo in principio tumoris ſæpe dolere vicinæ debeant partes in locis, qui pleni, haud inculpate aliena inſolitaque admittunt: ut 2do in Cadaveribus hæ partes vicinæ enerves, aut calloſæ reperiantur: ut 3tio in vita quoque partium, lente creſcenti tumori vicinarum, licet indolentium

fere,

fere, tamen in uſu læſarum, phænomena appareant.

Sed, inquient forſitan, id neceſſario ex hac Modificatione non ſequi: ſiquidem cum utero imprægnato, ſenſim ſe eam in molem extendenti, quam pauci tumores coæquent, feminæ complures vix doleant toto tempore graviditatis; eæque caſu denatæ calloſitatem degenerationemque partium compreſſarum nullam Anatomicis exhibeant: in aliis vero ipſum V. C. molis prægrandis jecur, idque induratum, non exhibeat a morte calloſum peritonæum, ventriculum, inteſtina.

Demus & hoc quoque: an vero hoc dato id verum eſſe ſequitur, quod Novum ſyſtema inde concludit? Minime. Si enim 1mo Clariſſimo *Morgagno* id lubens conceſſero, quod exempli gratia, Duræ ac piæ Matres, dum ſenſim tenduntur, parum doleant;

quod

quod Renes pedetentim tumefacti vix percipiant dolorem; quod in graviditate, in hydrope, Musculi abdominales, Peritonæum, Mesenterium, Intestina, Cutisque expansa, in pluribus non doleant, saltem non multum; nunquid legitima conclusio hæc erit, Cutim, quæ omnibus fatentibus sensibilis est, Mesenterium, Intestinaque, ipsos demum Nervos abdominales, sensibilitate carere? Utique tandem nihil ultra universo in corpore sensibile foret.

2do Vidi ego, videre *Valsalva* ac *Morgagni*, ordine inverso, tumores subito natos dolorum expertes; lente vero cretos maxime dolorificos: idque iis etiam in partibus, quæ omnium Consensu sensibiles sunt, ut postmodum patebit.

Tandem 3tio ad leniendas quasdam novi systematis absurditates Eximius *Morgagni*, ut supra monui, hæc excogi-

gitavit; minime vero approbavit ad usum pathologicum. Qui enim aliter ipsum intelligamus, Cephalæarum Causam ex paulatim nata compressione Cerebri membranarum *in Epistola I.* explicantem? Et capitis dolores a nata pauxillatim Duræ Meningis cum Cranio cohæsione deducentem? Qua alia ratione ejus mentem capiemus, dum *Epist.* 58. observationem primo *Valsalvæ* referens, qui diuturni atque omnibus adhibitis auxiliis rebellis, ad Diaphysin Tibiæ, ejusque Malleolum, doloris causam invenerat ad Tendines, inque Periosteo: deinde observationem *Fabricii ab Aquapendente*, qui in carpo pituitam acrem, internos tendines afficientem, ut diuturni doloris causam, deprehenderat; quique ambo magni in arte viri, scalpello educta materie, & ille, ossis quadam separatione facta, ægros suos reddiderant

ab

ab omni dolore immunes: dum illis, inquam, hæc ſubjungit: " Cæterum
„ num duo Anatomici, iidemque
„ Chirurgi præſtantiſſimi, *Fabricius* &
„ *Valſalva*, ipſi quoque tum forte de-
„ cepti ſint, tendines uterque, hic
„ etiam Perioſteum, illis cruciata do-
„ loribus fuiſſe non dubitantes, ma-
„ lim per te exiſtimes, quam ipſe di-
„ cere. Profectò ut ambo hi vitiis tendinis, ac perioſtei, minutatim natis, dolores ſive repetentes, ſive perſeverantes, tribuerant; ita Hic dolores capitis vitiis membranarum cerebri gradatim ortis.

Sed, quod crebro dixi, quodque ab *Jll. Hallero*, ejusque Diſcipulis, conſideratius attendi optaſſem, quemadmodum cunctæ hæ partes explicatis de cauſis doluiſſe inventæ ſunt; ita non raro non doluiſſe viſæ ſunt: id quod ut in enarratis caſibus, ita & in

aliis, imo in universi Corporis partibus contingere, evictum est. Nonne dudum Aretæus ligamenta considerans
„ νεῦρα, τα δεσματα τῶν ἀρθρων, non do-
„ lere sæpe, scribit, dum quis ea ab-
„ scindit, conteritve; & interea alio
„ tempore hominem sic ab illis dole-
„ re, ut a nulla re magis; imo ut non
„ ferramenta adstringentia, non vin-
„ cula, non vulnerans gladuus, non
„ exurens ignis, plus crearent dolo-
„ ris; id quod rem stupendam vocat,
„ cujus solis Diis nota causa sit. Morb.
„ diuturnor. Lib. 2. Cap. 12.

Profecto procul abfuit ille humanæ naturæ Ruspator, ut ideo ligamentorum sensilitatem negaret, quod quandoque non viderentur illa sentire. Et non negat non doluisse, & doluisse affirmat. Cur *Aretæum* non sequamur?

Sed

Sed experimenta, ajunt, docuere non ſentire omnino, nec unquam, ligamenta ac tendines. Attamen eorum, qui in Brutis rem explorarunt, hi has partes non ſentire, illi ſentire easdem, experti ſunt. Ita ut, quod *Aretæus* mox de humanis, idem de Brutorum tendinibus, ac ligamentis, nunc ſentientibus, nunc inſenſibilibus, poſteriores notaverint.

At miſſa faciamus experimenta in Brutis capta, ea quæ in homine, de quo unice agitur, contemplaturi. Ab omni ævo Ligamentorum ac Tendinum ſenſus a doloribus Arthriticis demonſtrari creditus fuit, ut pluries adverſus *Hallerum* evici. Vir autem illuſtris ille podagræ ſedem negavit in tendine ligamentove eſſe, & propria ſua podagra, ut putat, edoctus, ad cutem locavit.

Cum ea, quæ adeo convincentia claro Viro reposui, ipsum convicisse non videantur, adeundus ipsi *Morgagnus* erit, adeundusque *Valsalva*. Narrabit ipsi *hic* se podagricam materiem invenisse in membrana digitorum tendines obvelante: *ille* post sævos ischiadicos dolores in vita toleratos, non *supra*, sed totum, idque ingens, atque multiplex vitium, *intra* articulum coxæ se reperiisse: imo quod *Cælius Aurelianus* notaverit lapides podagricos primo articulum solvere, cutim deinde distendere, atque erumpendo prominere; hæc omnia se vidisse in digitorum manuum articulis *Patricii Veneti*: remittitque lectores ad similia observata *Harderi*, *Schneyderi*, *Dobrenskii*, in *Sepulcreto*. Tandem inducit nonnullos, quibus scribere libuit, non posse humorem arthriticum intra articulorum caveas perferri, quandoquidem liga-

ligamenta capſularia occludant easdem, neque ulla ad has via pateat, nec vena aliqua hæc loca ſubeat; quibus egregie reſpo,det Vias huc easdem eſſe, quæ Mucilagini, articulorum cava lubricanti, dicatæ. Adde ad hæc, quæ paulo ſupra, ex *Valſalvæ* & *Aquapendentis* demonſtrationibus didicimus.

Nonne interim dolenda Artis noſtræ ſors eſt, qua id, quod plurimi Mortalium, quod ipſi Medici in ſe millies experti ſunt, quod tot clari Anatomici ſuis oculis viderunt, Renes nempe, intimosque Articulos, Capſulas, ac Tendines, doloris materia obſideri, adeoque ſentire; id verum ultra non eſſe, quia condito ſemel imprudenter Syſtemati convenit has omnes partes inſenſiles eſſe?

§. II. Puris confectiones febrim habere doloremque comites, ab *Hippocrate*, in noſtra usque tempora, ob-

ſervatum eſt. Ipſe tamen *Hippocrates*, poſtque ipſum alii, obſervarunt eas nonnunquam fieri ingentes, quæ æque doloris ſint, quam febris, expertes. *Epid. IV.* apud *Chart. textu* 40. ubi primum dederat *Hippocrates* ſigna conſueta, quæ Medicis patefaciant num, qui in morbis abſceſſus appareant, judicatorii ſint; duos ſubjungit caſus, qui a ſignis hiſce, ab eo datis, abluderent: ac primum quidem *Leambii*, qui ad humerum, & ad ſiniſtrum ani latus, citra vel minimam febrim exulcerabatur; alterum alius ægri, qui cum inflammata ſede, unde poſthac purulentum prodiit, febris omnino fuerit, dolorisque expers. Ne quis autem Medicus, ſimilia nondum expertus, fidem forte dictis negaret, rem probe ſe noſſe, & aſſeveranter ſe loqui *Hippocrates* declarat. ἱκανῶς τοῦτο λέγω, inquit.

Egre-

Egregius *Morgagni* in Senatore ſene & ædematoſo id in crure obſervavit. Et qui in varia ætate, ac ſexu, viderat, laudat Collegam ſuum *Cl. Pujatum*, ut qui in Anu, in Adoleſcentula, in Viro robuſto, idem obſervaſſet. Num inde concludam legitime cutaneos nervos, & cutem ipſam, inſenſiles eſſe? Non: ſed has ſenſiles per ſe partes, aliquando inſenſiles eſſe, ut de ligamentis ſupra *Aretæus*.

§. III. Inflammationes adeo ſævas, ut eas Gangræna, Sphacelusque excipiant, febres, magnique ſolent comitari dolores. Non eſt tamen lex perpetua. Juvenis meus Cap. I. §. VI. Homo *Valſalva* apud *Morgagni* Ep. 24. inflammatum ventriculum, ac gangrænoſum uterque citra dolorem, meus etiam citra febrim, habuerunt. *Morgagni* poſt quam cum ipſe quatuor aut quinque exemplis idem expertus eſſet,

tum ex *Fernelio*, *Hoffmanno*, *Ortlobio*, *Riverio*, aliisque confirmasset; demum *Epist.* 25. §. 21. præclare subjungit:
„ Quæ omnia cum ita sint; quando
„ cum aliis inflammatorum Intestino-
„ rum signis vehementem dolorem,
„ & acutam febrim in ægrotantibus
„ deprehendes; jure quidem merito-
„ que credes Rei medicæ Autoribus,
„ hæc duo inter præcipuas notas ma-
„ gnæ Intestinorum inflammationis
„ ponentibus. Nec tamen, si quan-
„ do alterum, vel utrumque horum,
„ aut abesse, aut vix esse, invenies,
„ continuo putabis aut nullam esse in-
„ flammationem, aut levem; neque
„ Gangrænam & Sphacelum in eorum
„ esse Intestinis non posse, in quibus
„ duo illa præcessisse non videris. Op-
„ tandum sane fuisset ut Medici, cum
„ signa hujus Inflammationis, & con-
„ sequentis ipsam Gangrænæ, pro-

po-

„ posuerunt, hoc monitum non omit-
„ terent in morbo, qui per fallaciam
„ ejusmodi, nec raro, præceps, ac
„ repentinum affert exitium. Nec
„ raro, inquam; nam memini, cum
„ adolescentuli supra descripti casum
„ mirabundus narrarem *Valsalvæ* &
„ *Albertino*, continuo utrumque con-
„ firmasse non absimilia occurrisse si-
„ bi, nec semel. Quid, quod idem
Vir perillustris semel, ego pluries, herniam incarceratam indolentem viderimus, ut morbus tumore inguinis, ac vomitu desperato cognosceretur duntaxat; & inflammata valde intestini pars, inque gangrænam pro parte versa, in Cadavere adpareret?

Ex quibus manifestum fit partes sensilissimas, dolorum atrocitate infames, non raro a causis dolorificis affici, sine sensu doloris. An tunc cau-

ſa doloris vehemens intercipiat id, quod ea in parte cum communi ſenſorio communicet? Namque pauculum in Nervo requiritur, ut ſubjecta pars inſenſilis, etiam ſciſſa uſtaque, nihil ſenſorio communi denuntiet. Sed quæcunque mirabilis phænomeni cauſa ſit, id perpetuo conſtat, ideo Muſculos, ideo Nervos, ideo Ventriculum, Inteſtina, Meſenterium, Cutim, partibus ſenſilibus annumeranda non eſſe, eo quod non raro inſenſilia appareant.

§. IV. Cum ſimile quidpiam credatur in Pleura obſervari, paulatim perduci me ſentio ad reſuſcitandam tædioſam de ejus ſenſilitate quæſtionem, quæ occaſione ſyſtematis moderni agitata toties eſt; quæque ejus ſenſilitas ita a magnis viris *Valſalva*, & *Morgagno*, exploſa fuiſſe Clariſſimo *Tyſſoto* apparet, ut in ſuo diffamatorio contra me libello clamet io! triumphe!

Quo

Quo brevior ſim, refero me ac ea quæ in *Gallica ad Amicum Epiſtola* in hanc rem ipſi repoſui; additurus hic reliqua, quæ occaſione Anatomicæ ſectionis, *Cap. I. §. V.* relatæ, neceſſario mihi exponenda ſunt.

In thorace dextro, ſub loco olim dolentiſſimo, quem, ne de eo quis ambigeret, Emplaſtri figebant veſtigia, Membrana Pleura, latiſſima admodum plaga, haud inflammata duntaxat, ſed inflammatiſſima apparuit: ſic quidem, ut cum illi, qui Pleuram vaſculoſam eſſe præfracte negarunt, tum hi, qui feliciſſima injectione paucis tantummodo vaſis ornatam videri ſtatuerunt, hic eam vidiſſent quovis in puncto vaſculoſiſſimam. Clari hi viri laudandi ſunt, quod vel nulla, vel vix ulla vaſa, ſuis Pleuræ injectionibus ſe inveniſſe, adeoque *Ruiſchio* adhuc infeliciores fuiſſe, fateantur; ſed condemnan-

nandi ſunt, quod ideo Pleuram vaſculoſam eſſe negaverint; quod ideo inflammationi ineptam eſſe decreverint; quodque ideo aut deceptos, aut mendaces, magnos in arte viros declaraverint, qui in Cadaveribus eandem valde inflammatam, & viderant, & deſcripſerant poſteritati: *Eraſiſtratos* ajo, *Cælios*, *Martianos*, *Diemerbroeckios*, *Riolanos*, *Boerhavios*, *Valſalvas*, *Morgagnos*.

Hæc porro Pleura, ut vehementer, quo indicavi loco, inflammata, ſic etiam, cum in vita dolor, non deſerendo hanc plagam, usque ad dorſum proſerpſiſſet, inflammata Pleura inventa eſt usque ad alterum ſpinæ dorſalis latus. Tum & ipſa Diaphragma conveſtiens, & qua tendineum, & qua muſculoſum, inflammata admodum adparuit: inflammatum quoque Diaphragma erat, qua parte Peritonæo ſuc-

ſuccingitur; levius tamen, quam qua Pleura.

Pulmones nullibi ad Pleuram accreti, niſi in inflammata quadam plaga, adhæſione digito non latiore: molles ceterum, & dum profundius incidebantur, ſuperius griſei, inferius intenſiſſime rubri.

Plurimos inter teſtes, huic ſectioni circumſtantes, erat Vir Clariſſimus, *Göttingenſis* in Anatome Profeſſor *Vrisberg*, qui per duos, tresve menſes, hanc noſtram univerſitatem ſua præſentia cohoneſtavit.

Febris acuta primum, dein ſæva Pleuritis, ſuſtulerunt hominem; haud ſine Peripneumonia tamen. Licet enim Pulmones inflammatione duros non deprehenderemus, quemadmodum in antecedente trium Cadaverum ſectione, erat inflammatus tamen, infimis uterque lobis, ea nimirum rariore

riore inflammationis ſpecie, quam Cl. *Morgagni* deſcribit, ut rariorem, Ep. 20. §. 21. „ Plerique credere viden-
„ tur, ait, pulmonis inflammatio-
„ nem in rubore ferme conſiſtere:
„ (hic noſter caſus erat) quod ali-
„ quando fieri poſſe non eſt negan-
„ dum, ut ſi quando de genere eſt le-
„ gitimi Eryſipelatis: Verum in ple-
„ risque inflammationibus denſus durusque fit Pulmo.

Neceſſe fuit hanc memorare Cl. *Morgagni* adnotationem convenientem cum ea *Hippocratis*, pulmones Peripneumonicorum nunc Eryſipelatoſos, nunc infarctos, durosque, ſcribentis; convenientemque præterea cum ea *Lanzonii*, qui in Pleuritide, Pleura illæſa, Pulmonem invenit Eryſipelate affectum, ex flavo maculoſum, non vero durum: neceſſe, inquam, fuit hanc

hanc adferre adnotationem; ut ſimul confirmarem id, quod in *Epiſtola ad Amicum*, contra *Tyſſotum* urſi: nempe in Schola *Boerhaviana* Pleuritidem, ſi ſedem in Pleura, vel in Muſculis intercoſtalibus habet, haud ita conſiderari, ac ſi inde homo illæſo moreretur Pulmone; at vero ſic, ut reſpiratione Pleuriticorum vehementer læſa, pulmonem ſerius ocyus affici, ſuæque affectionis indicia in Cadavere præbere oporteat. Imo *Boerhaave* non in Pleuritide tantum, verum etiam in plerisque morbis letalibus, peripneumonicum hominem demum mori docebat.

An igitur adverſariorum inde deducta conſequentia legitima eſt? Quando *Boerhaave* ſcripſit Aph. 874. „ Cur „ ex iisdem pariter liquet hunc morbum, (Peripneumoniam) fere fieri „ ex omni alio prægreſſo, antequam „ ex eo moriatur æger? adeoque pro-

ximam

„ ximam mortis caufam, & ultimum „ omnium fere letalium morborum ef- „ fectum effe Peripneumoniam: quando, inquam, fic fcripfit, nunquid ideo ftatuit mortalium neminem nunquam a Pleuritide mori, quia Peripneumonia fcenam claudit? neminem unquam a Paraphrenitide? neminem ab Hepatitide, Enteritide, Hyfteritide, Nephritide, Arthritide? An quoque dixit *Boerhaave*, hæc fcribens non differre morbum principem ab epigenomena Peripneumonia? Nihil profecto minus. Sed quidem hoc docuit, quemadmodum inflammatio Meningum Cerebri, ea inteftinorum, uteri; quemadmodum ceteri enumerati morbi principes, seu primarii; five fanguinem corrumpendo, five folida omnia obftruendo, conftringendove, five Nervorum labefactando originem, five alio quocunque demum modo id effi-

efficiant, ut pulmo plus accipiat cruoris, quam ſiniſtrum in Cor refundere poſſit, letalem adeoque Peripneumoniam gignant; ſic quidem ut non directe per ſe, ſed per epigenomenam peripneumoniam necet hominem; ita pariter & quidem a fortiore, Pleuritis, id eſt Inflammatio Muſculorum intercoſtalium aut Pleuræ, non modo ea facit, quæ enumeratorum plerique, verum magis immediate eorum organorum, quibus ad reſpirandum eget Pulmo, lædit functiones, eoque certius hac ſuperveniente Peripneumonia occidit: abſque eo tamen, ut nata ſic peripneumonia non magis princeps ſit morbus, non magis exiſtentiam inflammationis laterum, ut ſui cauſam, neget; quam ſuperveniens inflammationi v. g. Inteſtinorum, negaret hanc ipſam Inteſtinorum inflammationem & ſeparatum a ſeſe morbum

esse, & se ex eadem suam sumsisse originem.

Neque alia ratione, intentioneve, suas tradidere *Valsalva* ac *Morgagni* observationes. Ut profecto nesciam quo pacto potuerit *Tyssotus* tam in *Halleri*, quam in sui proprii systematis confirmationem, magnorum illorum Virorum observationibus ita abuti, ut inde probaret nunquam Pleuritidem in Musculis aut Membrana laterum thoracis, sedem habere; & hunc morbum unum eundemque cum Peripneumonia esse. Cum illegitima hæc innovatio simul totam hac in parte Pathologiam perturbet, necesse est paucis ut has observationes recenseam, singulariumque singularem analysin faciam.

Epist. anat. med. 20. §. I. recenset Cl. *Morgagni* casus per universum opus dispersos, antequam ex professo rem aggrediatur: itaque eodem modo eum sequar.

Imo

Imo in Epist. 6. Nro 10. *Valsalva* in homine post dolorem sinistri lateris invenit Pulmonem sinistrum induratum. Pleuræ mentionem eo non faciente, illæsam fuisse lubens supponam. Numquid Musculorum intercostalium mentione non facta, illæsos quoque credam eosdem? Neutiquam: etenim ex universa sequentium historiarum serie patebit, vix, nisi semel iterumque, examinatos in Cadaveribus hos musculos fuisse; adeoque insignem adesse in omnibus *Tyssoti* conclusionibus defectum. Cum enim *Boerhaavius* Pleuritidis sedem in Pleura, vel in musculis intercostalibus fixit, & in his ultimis solis *Hallerus*; ipse vero *Tyssotus* in unico Pulmone; non potuit fere ullo testimonio *Valsalvæ*, & *Morgagni*, ille uti, nisi in quo rigorosum simul factum fuerit eorundem musculorum examen; in quo sane examine totus

 rei

rei cardo vertitur. Adeoque, ut monui, cum vix tale examen unquam ab illuſtri hoc Duumviratu inſtitutum ſit, fuit vana ac inanis omnis ejus concluſio.

Igitur æger *Valſalvæ* doluit ſiniſtro latere, vel ob id unice, quod induratus pulmo ſenſibilem pleuram continuo terendo, premendo, fricando irritaverit; vel ob hanc cauſam, & ſimul ob intercoſtalium muſculorum inflammationem.

Nunquid vero tunc Pleura non fuiſſet inventa inflammata? Potuiſſet, ſed non debuiſſet. Non omnis ſenſibilium partium irritatio gignit phlogoſin. Si gignat Pulmo induratus hanc fricando, terendove, gignit & epigenomenam pleuritidem; ſine minus, Pleura doluit non inflammatoriè.

2do Epiſt. eadem §. 12. Senex Sterni dolore in morbo ſuo ultimo

unica

unica modo die laborat, ſaltem poſtea non conqueſtus de eo eſt. Illi abeunti ſtertor ſucceſſit. Erat autem homo & ante dolorem pectoris, & poſt eundem, hebes, ac ſemiſopitus. *Valſalva* in Thorace invenit pulmonem dextrum hic durum, ibi nigrum, alibi corruptum. Quid hæc hiſtoria ad quæſtionem noſtram? Homo hic unico die doluit duntaxat, vel quod inflammatus cruor ſternum relinquendo affecerit pulmonem, vel quia æger præ mentis hebetudine, & ſoporoſitate, dolorem ultra non perceperit. Die 5. vel 6. a ceſſante dolore mortuus eſt.

Arbitrabitur forte adverſæ opinionis Scriptor hominem hunc non minus ſtupidum fuiſſe, quo die dolores pectoris conquerebatur, quam & antea & poſtmodum, nihilominus de dolore non niſi eo unico die conqueſtum eſſe; cum igitur hebitudine ſua

non impediretur dolorem unico die percipere, oportere eum toto morbi tempore doluiſſe, cum pulmo ejus ita pro parte induratus, debuerit, ſecundum prioris morbi explicationem, continuo dolore pleuram irritando, fricandoque afficere.

Viciſſim autem hunc ego rogabo, ut explicet mihi cur homo hic perpetuo non doluerit, ſi cauſa doloris pleuritici vera ſit pulmonis inflammatio? Cum enim Pulmo in Cadavere peſſime inflammatus reperiretur, debuit doluiſſe continuo. Nec cauſam indolentis pulmonis in ejusdem gangrænam referat: nam pars adhuc dura præ inflammatione erat. Cum hoc mihi nunquam explicabit, vel ad dicta antea me refero, vel in partium ſenſibilium temporariam inſenſilitatem, quæ longe lateque ſuperius demonſtrata eſt, cauſam refundam.

3tio

3tio Ibid. §. 14. Peripneumonia ac ſopore detentus intra quatriduum moritur. Thoracem non examinavit *Morgagni*. Ergo Adverſarius ex tota hac hiſtoria nihil concludere poteſt.

4to Epiſt. 7. No. 4. *Valſalva* hæc habet. "Vir annorum circiter 35.
„ dolore corripitur in Thorace cum
„ febre. Dolore abeunte, accedit ad
„ febrim delirium: quod, febre ma-
„ gis augeſcente, ad mortem usque
„ perdurat, quæ circa diem 11. acci-
„ dit. Thorace recluſo pulmonum
„ poſteriora dura aliquantum, & ru-
„ bra inveniuntur. Si hic homo pleuriticus fuit, dolor abivit, quia pro pleuræ inflammatione ea meningum nata eſt: pulmo autem inflammatus fuit quod Phrenitis, ut omnes morbi acuti fere, quemadmodum ſuperius probatum eſt, vitam Peripneumonia finiverit. Notandum adverſus pul-

monum ſenſibilitatem, quod ſi ideo homo thorace doluiſſe ſtatuatur, quod pulmones inflammati eſſent, pulmones inflammati plurimo morbi tempore inſenſiles fuerint. Si dicas præ delirio hominem dolorem non ſenſiſſe, dicam idem de Pleura, vel de Muſculis intercoſtalibus.

5to Epiſt. 22. §. 10. *Valſalva* in Thorace hominis venerei, qui ſiniſtri cum lateris dolore acute decubuerat, ſiniſtrum pulmonem ſuperiore parte durum, inferiore ſanioſum, invenit. Iterum ab affrictu & irritatione rigidi pulmonis ad pleuram dolor explicatur: vel ab inflammatis muſculis intercoſtalibus.

6to ibidem §. 11. Meretrix in ſiniſtra thoracis parte ſic dolet, ut vix decumbere in eandem poſſit. Cum pulmones ambo dura tubercula & ulcera geſſerint, cur, ſi ſedes doloris

la-

lateris in pulmone eſt, non doluit illa utroque latere? Ergo Pulmones non ſunt dolorum laterum ſedes. Unde ergo ſiniſtri lateris tantumodo dolor? Intercoſtales muſculi, ſi examinati fuiſſent, doloris forſan patefeciſſent cauſam.

7mo ibid. §. 16. Virgo Pleuroperipneumonica ſiniſtro latere potiſſimum ac valide doluerat. Invenitur & Pleura inflammata, & pulmo. Hiſtoria hæc explicatione non eget. Nimiæ præcipitationis convincit Modernos.

8vo ibid. §. 22. Pleuroperipneumonia cum pungenti ſiniſtri lateris thoracis dolore. Pulmo ſiniſter prave affectus, minus dexter; ambo cum pleura ubique connexi, magis adhuc dexter. Pravus pulmo ſiniſter minus accretus, ad loca accretionis diſtraxit pleuram, ut doluerit, dolore tamen

non inflammatorio. Dexter Pulmo universalius accretus, & parum vitiosus, non potuit distrahere pleuram. Quid si etiam sinistri intercostales musculi inflammati fuerint?

9. Epist. 36. §. 23. Lanio acuta prehenditur febre, signis stipata internæ thoracis inflammationis. Pulmo dexter annexus Pleuræ & durus. Historia non narrat, an dolor affuerit, nec quanam thoracis in parte: Signa modo ait adfuisse inflammationis internæ. Si doluit igitur latere dextro, causa ex præcedentibus intelligitur, pressio scilicet & irritatio pleuræ a duro pulmone. Sin minus, obscurior narratio est, quam ut quisquam illam in sui favorem laudet.

10. Epist. 37. §. 29. Thoracis inflammationem conquesta mulier est. Vaga enarratio nihil determinans, adhuc minus Anatome, quæ non est facta Thoracis.

11.

II. Epiſt. 45. §. 16. Mulier in acuto morbo pectoris non quærebatur de peculiari ad dorſum moleſtia, ut neque de pungente dolore. In Cadavere tamen, præter vitiatos pulmones, pleura utroque in latere roſeo rubore ad non parva ſpatia rubebat. Subrubrum & Pericardium.

Sed ipſa hæc mulier nunquam erat conqueſta de tremore cordis, nunquam de animi defectionibus. Nihilominus ipſi erat Pericardium hoc amplum, ſero quaſi purulento diſtentum, in ſubſtantia incraſſatum, eductaque contenta materie luridum, quemadmodum quoque univerſa cordis, vaſorumque majorum, & Auricularum ſuperficies erat, a craſſa polypoſa compacta, iisdemque accreta materie.

Cum proinde hæc mulier cordis palpitationibus, animique caruerit defectibus, quos pati debuiſſet, non miramur

ramur nec laterum conqueſtam eſſe dolorem. Peculiare illud hic obtinuit, ſupra memoratum, explicatu difficile, quo licuit cauſas adeſſe ſymptomatum, ipſa tamen deeſſe aliquando ſymptomata. Nihil ergo hoc argumentum urget.

12. Epiſt. 48. §. 32. Thoracis inflammatione Meretrix periit; cujus non eſt examinatum pectus. Adeoque hæc obſervatio ad quæſtionem non facit quidquam.

13. Recenſui hucusque eos caſus, quorum per anacephalæoſin *Morgagni* meminit. §. 1. Epiſt. 20. quæ nobis commentanda eſt: priusquam vero id aggredior, neceſſe eſt eos recenſeam per univerſum opus disperſos, quorum Autor in hac §. 1. Epiſtola 20. ipſe non meminerit; ut toto in opere nihil, quod ad rem facere poſſit, maneat intactum.

Epiſt.

Epiſt. 7. §. 11. Figulo vehemens eſt dolor ſiniſtri lateris, die ſeptimo moritur. Siniſter Pulmo præ inflammatione jam ſuppurari inchoat. Pleuræ adhæret multis membranaceis vinculis. Pleura ſuperius craſſa, inferius craſſiuscula, & rubicundior. Pericardii ſacies exterior, ſiniſtra tantum, a vaſculis minimis, ſanguine turgidulis, rubebat. Hic omnia adſunt, quæ in ſchola Boerhaviana ad Pleuroperipneumoniam requiruntur.

14. Epiſt. 52. §. 15. Pleuritis ad imam ſiniſtram Thoracis partem graviſſima fuit. In Cadavere ſolum cranium examinarunt. Ergo ut ſupra ad Nro 12.

15. Ibid. §. 13. Dolor pungens ad lævam mamillam. Siniſter Pulmo inferiore lobo inflammatus; ſiniſtraque pleura. Demonſtratio ut Nri 13. ſuperioris.

16. Epist. 9. §. 12. Nulla doloris laterum mentione facta, febricitans coquus moritur ad 12 diem epilepticus. In Cadavere inflammata Pleura.

Ad historiam hanc non est quod multum hæreamus. Cl. Autor nec morbum ipsum se multum vidisse, nec dissectioni, quæ modo a Medicinæ studioso facta est, interfuisse se fatetur. Ast cum Pleura inflammata esset, legitime supponam hominem latere doluisse.

17. Epist. 22. §. 16. Virgo utroque quidem latere doluerat, sed sinistro potissimum. Pleura sinistra inflammata, sinisterque Pulmo. Pulmo dexter superius durus pleuram irritaverat nondum inflammatorie.

18. Epist. 45. §. 23. Pulmo inflammatus ac pessime affectus, sine ullis ejus in morbo acuto signis aut dolore. Qui ita urgent ideo non esse

sen-

ſenſibilem pleuram, quod ſine prægreſſo dolore inventa ſit inflammata; coguntur hic ſuam aſſumptam Pulmonis ſenſibilitatem dimittere. Quid clarius demonſtrat Peripneumoniam exquiſitam doloris expertem eſſe; ideoque in ejus definitione doloris non fieri debere mentionem?

Nunc ad Epiſt. 20. & 21. examinandas, quibus *Tyſſotus* Pleuræ inſenſilitatem, ac ſenſibilitatem Pulmonis, probare annifus eſt, nos accingamus.

Epiſt. 20. meras *Valſalvæ* continet obſervationes: quarum *prima* hæc eſt §. 2. Moritur Peripneumonicus, ſine dolore. In thorace dexter pulmo inflammatus, cum Pleura illæſa. Hic quæretur a me cur Pleura non doluerit, quæ juxta explicationes priores meas a duriore Pulmone laceſſita dolere debuiſſet? Quæro viciſſim ego, cur Pulmo, adeo ſenſilis hoc tempore ha-

habitus, non doluerit? dolere enim debuisset. Si casus utrique litigantium partium inexplicabilis, neutri favorem, aut præjudicium facit. Ego qui sensibiles partes non raro non sentire demonstravi, facile hic pleuræ explico indolentiam.

2. §. 3. Dolor in latere dextro. „ Dexteri pulmonis superior lobus, „ & proximi lobi pars superior, qua „ uterque dorsum spectabant, tumo- „ re turgebant inflammato, & præ- „ duro, arcteque per membraneos ne- „ xus pleuræ adhærebant: hæc ta- „ men nullam inflammationis notam „ habebat. Quæro hic ab iis, qui omnem pleuriticum dolorem Pulmonibus inflammatis tribuunt, cur pulmone ad dorsum inflammato homo non ad dorsum, ubi inflammatio, sed ad latus, ubi sanus pulmo, doluerit? Ergo inflammatus pulmo non dolet.

Cur

Cur igitur homo doluerit in latere ubi nec pulmo durus, nec pleura læsa? Responsio forte in propatulo esset, si musculos intercostales examinasset *Valsalva.*

3. §. 5. Dolor gravans sinistri Thoracis. Tumidus, ac durus Pulmo, sinistram hanc partem totam explebat. Pulmo valde tumidus compressit pleuram, quæ inde non *punctorie* non *inflammatorie*, sed *gravative* doluit; unde nec inflammata apparuit. Si quis tamen velit acutum ac pungentem dolorem adfuisse, in musculis intercostalibus sedem quærat.

4. §. 7. Dolor in Thoracis sinistra parte. In sinistro cavo serum albidum, tum pulmo a posteriore parte inflammatus. Pleuram *Valsalva* non descripsit. An quod neglexerit? An quod bona esset? Supponamus fuisse bonam, & ex toto casu concludamus

1mo pulmonem insensilem esse, qua enim parte inflammabatur, non dolebat. 2do Serum acre effusum non quidem inflammando, sed irritando, creasse pleuræ dolorem.

5. §. 9. Dolor primo gravans in latere dextro, quarto die pungens, quinto mors. Pulmo dexter immanem inflammationem ac duritiem, & sub his inchoatum jam abscessum, ostendit. Insinuat *Cl. Morgagni* in hac anatome describunda *Valsalvæ* negligentiam. Nihil enim, quod requirebatur, de tota Pleura. Si inflammata fuit, utique causa intellecta doloris est: sin minus; expectemus musculorum intercostalium examen.

6. §. 11. Post dolorem præsertim circa sternum, in febre continua, mors die nono. Pulmo sinister inseparabiliter cum tota pleura connatus. Dexter concretus cum toto mediastino, item-

itemque cum pleura ſuperiores coſtas veſtiente; pus ſanioſum e pulmone effluxit, dum vi a ſuperioribus coſtis avelleretur. Antiquior forte cohæſio, quæ demum, pulmone præ inflammatione, & ſuppuratione tumido, ac duro, cauſa doloris fuit. Sed quid ſententia *Morgagni* præſtantius? „ Hic illud juvat attendere, inquit, „ cum dolor eſſet præſertim circa „ ſternum, vitiatum pulmonem toti „ mediaſtino arcte adhæſiſſe, quod „ videlicet ad ſternum alligatur. At „ alligatur, inquis, etiam ad Thoracis „ vertebras, circa quas non memora- „ tur dolor. Verum hoc eſt: ſed ve- „ rum id quoque, in violenta reſpi- „ ratione, qua uti ea virgo cogeba- „ tur, ſternum moveri, non verte- „ bras; itaque illas magis affici Me- „ diaſtini partes, quæ ad ſternum ſunt „ alligatæ.

 Peto

Peto humaniter ab iis, qui hasce *Morgagni* præclaras Epistolas in suas partes trahunt, num manifesto iis oppositus non sit, Mediastinum, Pleuræ productionem, sensibilem declarando? si dubitent adhuc, sequantur eum hoc loco, tres *Sepulcreti* observationes sic explicantem, ut Mediastino, ac Pericardio sensilitatem non neget.

7. §. 13. Dolor in dextro Thoracis parte, atque etiam in medio sterni. Supinus cubat. Erecta cervice spirare cogitur. Die 7. mors. „ Pulmo dex-
„ ter in superiore parte tota induruerat; & nonnihil Sterno, arctius autem Mediastino, adhærebat. Sinister a tergo infectus erat colore atro.

Si dolor a Pulmone inflammato, in sinistro Thorace debuit violentior fuisse, cum sæva inflammatio jam in sphacelum tenderet. Atqui non doluit

luit latus ſiniſtrum. Ergo pulmo non eſt ſenſibilis.

Cur homo doluit latere dextro, & ad ſternum medium? quia pulmo ſua duritie pleuram fricabat, & adhæſione ad ſternum ac mediaſtinum, has diſtrahebat partes.

8. §. 15. Infantis quatuordecim dierum vera peripneumonia nihil ad negotium noſtrum facit: De pleuritide enim, aut dolore, hic nulla quæſtio.

9. §. 16. Virgini dolor in ſiniſtra primum, hinc in dextra Thoracis parte. „ Pulmo dexter nonnihil inflam-„ matus, a tergo præſertim. Siniſter „ autem, qui undique pleuræ, co-„ ſtas, & diaphragma conveſtienti, „ adhærebat arctius, ut eximi ſine la-„ ceratione non poſſet, multum ru-„ bebat. Principio pulmo inflammatus dexter ſolus, preſſit ac fricuit

 pleu-

pleuram dextram; inflammatus dein finister, non modo pleuram compressit, sed suas cum ea cohæsiones distraxit.

Iterum in illos, qui egregium *Morgagnum* suis a partibus stare toties gloriantur, noto hunc Autorem, dum in hanc *Valsalvæ* historiam commentatur, manifesto agnoscere, pleuræ sensibilitatem, affirmando, & istam virginem, & virum priorem, in dextrum latus incumbere non potuisse, eo quod pulmo finister ad pleuram alligatus, ac ponderosus, inclinato in dextrum latus corpore, pleuram distraheret, molestiamque crearet. Sic & §. 38. exponens cur pleura, licet inflammata inventa non fuerit, doluerit tamen, rem sic exponit. „ Nonne ita „ rem potero declarare, ut pleuram, „ quamvis haud inflammatam, distrahi „ intelligas, quoties distentus iam,

sed

„ ſed non omnino, ab inflammatione
„ pulmo, inſpirato aëre magis diſten-
„ ditur, & hoc ipſo omnia ſuæ ſuper-
„ ficiei puncta aliud ab alio dimovere,
„ & quod conſequitur, annexam
„ pleuram quaſi divellere conatur?

10. §. 17. Adeſt Juveni dolor obtuſus in lævo Thorace. Die 17. mors. „ Thorace aperto, illæſa pleu-
„ ra inventa eſt, pulmonesque ab hac
„ omnino ſoluti. Sed erat ſiniſter
„ ubique inflammatus ſi partem ſupe-
„ riorem excipias. Obtuſus fuit, non pleuriticus dolor, excitatus a frictu in inſpiratione turgentis pulmonis: ideoque necdum inflammata apparuit pleura.

11. §. 20 Sacerdoti principio dolor eſt dextræ Thoracis partis, deinde ſiniſtræ. Non notavit *Valſalva*, utrum dolor dextræ partis abiverit, ſuperveniente illo ſiniſtræ, an vero cum eo-

dem exciterit? Quiquid fuerit rogo eos, qui omnem pleuriticum dolorem pulmoni tribuunt, cur non notetur hunc Reverendum virum in dorso tantummodo doluisse, in quo solo ambo inflammati pulmones? Dico iterum inde manifestum fieri, non dolere pulmones. Cur ergo doluit æger utraque in parte? causa non invenitur, nisi vel a turgidis pulmonibus latera fricantibus, vel ab inflammatione Musculorum intercostalium.

12. §. 22. „ Senex dolore deprehenditur in dextra Thoracis parte, „ febricitat, tussit, expuit: facilius „ decumbit in dorsum. Sputi copia „ major fit. Sed *ob sectam die* 10. *venam supprimitur*. Itaque undecimo moritur. Pulmo sinister sanus, quamvis undique pleuræ adhærens. „ Dexter contra, quamvis a pleura „ solutus, dorsum versus summo-

„ mopere inflammatus deprehendi-
„ tur.

De Pleura nulla iterum mentio. Sanamne benigne interpretabimur? Sit! Si dolor Thoracis fuit versus dorsum, non in dorso, ut pulmo non in dorso, sed versus dorsum inflammatus erat, frictu hic pleuram læsit, molestavit, dolore affecit; si non ibi latus doluit, ubi inflammatio pulmonis, ab inflammatione Musculorum intercostalium intelligendus est dolor, insensibilisque pulmo inflammatus statuendus.

13. §. 24. „ Vir --- cum Tho-
„ racis dolore, & difficili respiratione
„ correptus esset, initio quidem faci-
„ lius in latus cubabat dextrum, de-
„ inde in sinistrum; in dorsum nullo
„ modo poterat. -- Pulmones ambo
„ & adhærebant pleuræ, sic tamen ut
„ sine laceratione separari possent, &

„ dorſum verſus inflammati erant, &
„ multum duri.

Deeſt quoque determinatæ, quæ in Thorace doluerit, plagæ mentio, deeſt & ea ſtatus pleuræ. Ergo ſupponendum eſt in Thorace doluiſſe, quâ parte ambo pulmones præ inflammatione duri, pleuram terebant, & comprimebant. Sin minus, muſculi intercoſtales inflammati fuerunt.

14. §. 26. Vehemens Peripneumonia in cacheӕtico, nulla mentione facta doloris, exquiſitam pulmonis inflammationem notat; definitio, ut a ſcholis datur, Peripneumoniæ, egregie iterum contra novum ſyſtema roboratur.

15. §. 28. A caſu, & alliſione dorſi in humum, ac dein valida inſilientis adverſarii compreſſione in pectus facta, Thoracis dolor natus, nihil hic explicat. De ſimili enim morbo quæſtio

ſtio non eſt. Si pleura læſa non fuit, certo muſculi Thoracis læſi fuerunt: pulmo inflammatus erat, ut in fine acutorum ſolet; vel a Thorace contuſo, ad bene reſpirandum inepto, & dolor naſci, & epigenomena, vel morientibus ſolita, peripneumonia, poteſt.

16. §. 30. Clericus poſt multos chronicos morbos acuto corripitur, & die 7. moritur; dolores non Thoracis, ſed hypochondriorum ſemper teſtatus. Utrumlibet in latus decubuerat. Pulmones a Pleura ſoluti, dexter tamen inflammatione durus. Copioſa aqua in utraque Thoracis camera & in Pericardio. Lien quadruplo major. Hepatis inflammationem mentitus fuerat morbus. „ Cadaveris ſectio, ſcribit „ ingenuus *Valſalva*, detexit errorem.

Hiſtoria neque hæc ad quæſtionem pertinet. Hydrops Thoracis, & Pe-

ri-

ricardii deprimendo diaphragma, & viſcera hypochondriorum, dolorem excitavit, a ſcopo quæſtionis alienum. Pulmo ἐπιγενομένως inflammatus.

17. §. 32. Ut prior, a ſcopo aliena. Ardor & irritatio in ſiniſtra Thoracis parte, a longo antea tempore, priusquam vita peripneumonice, ſolito letalium morborum more, finiretur. Mors proprie ab Hydrope Thoracis utriusque.

18. §. 33. Seni gravans eſt dextri lateris dolor. In dextrum jacere tantummodo poteſt. Die 3. moritur. Pectus dextrum repletum ſero, & pulmo inflammatione durus. Verſus ſcapulas pleuræ per membranulas cohærens. Dolor hic gravans fuit, non pleuriticus, ſed a pulmone pleuram, cui nectebatur, diſtrahente, & ſeri ſeu preſſione, ſeu acrimonia, oriundus. In ſiniſtrum ſenex incumbens

anxie-

anxietatem majorem, doloremque patiebatur: hunc, quod pleuram fortius diſtraheret; illam, quod & copioſum ſerum, & gravis pulmo, qui non niſi ad ſcapulas cum pleura nectebatur, in Mediaſtinum, in Pericardium, inque ſanum incumberet Pulmonem. Huc non facit.

19. §. 35. Pungens dolor læva Thoracis parte. Die 16. mors. Pulmo ſiniſter undique vicinis nexus partibus, inflammatus, ac ſuperius jam ſuppuratus. Hydrops incraſſati Pericardii.

Si Pleura illæſa inventa eſt, quod non ſcribitur, dolor natus eſt vel a diſtracta pleura, vel ab inflammatione muſculorum intercoſtalium.

20. §. 36. „ Juvenis dolore cor-
„ ripitur Thoracis - - - ad diem 16.
„ obiit. In ſiniſtra cavea limpida ſtag-
„ nabat aqua, in qua ſanus, & ſolu-

tus

„ tus undique erat pulmo. Induratus „ vero, proximiſque partibus, & præ- „ ſertim verſus ſcapulam, valide an- „ nexus, qui in dextra; ubi erat vac- „ cini ſeri ſimilis --- In pericardio „ omnino ſimilis humor --- ut ingens „ idem occuparet Thoracis ſpatium.

Nulla mentio pleuræ; nulla dolentis loci determinatio. An quod Thorace doluerit univerſo? utique ſat ad id cauſarum habuit. Iterum nihil ad rem noſtram.

21. §. 39. Cum pungente ſiniſtri lateris dolore vir periit die 7. „ In „ Thoracis ſiniſtro cavo aqua erat ſi- „ milis ſeri vaccini; pulmo autem „ prædurus ad Mediaſtinum & Pleu- „ ram coſtas accingentem valide ad- „ hærebat. Eodemque pacto pulmo „ dexter Mediaſtino, & Pleuræ, qua „ Diaphragma, & præſertim qua an- „ terius ſummas coſtas conveſtit, al-

liga-

„ ligabatur. Ad hunc ultimum locum „ latebat in pulmone ulcus cancro- „ ſum, ſedes fortaſſe morbi inveterа- „ ti. " Diu enim ſenex hic catarrha- lem materiem expuiſſe legitur.

Materies hæc catarrhalis non ex cancroſo ulcere; pejor enim tunc prodiiſſet; ſed ex pulmone, ulcere hoc moleſtato, & in actione ſua impedito, orta eſſe videtur. Doluit homo in hoc acuto ac letali morbo in ſiniſtro latere, eo quod ſiniſter pulmo inflammatione turgens, ac ponderoſus, & prædurus, vitiato ſuo motu pleuram, cui nectebatur, diſtraheret. A quibus adhæſionibus pleura altero in latere non doluit, quod pulmo ejus inflammatus non eſſet.

Aſt inquies, etiam ab ulcere cancroſo dolere debuit latere hoc, quum ab ichore cancroſo pulmonis pleura ſenſibilis fœdaretur.

Mi-

Minime: nam textus dicit ulcus cancrosum in pulmone *latuisse*. Orclusum ergo pulmonis ulcus pleuram lædere non potuit: Cum vero nec ipse pulmo, in quo latebat, doluerit inde, novo argumento est indolentem esse pulmonem.

Dudum autem sensi opponi mihi posse, quod Pulmo exactissime Thoracem explens, & pleuræ undique contiguus, distrahere, quâcum concrevit, pleuram; lacessireque eandem, cui immediate accumbit, nullo modo possit.

Resp. 1mo Data ac concessa hac Thoracis perfecta a Pulmone plenitudine, negari tamen non potest, quin Pulmo inflammatus, ac turgidus, & durus, concutiente validæ tussis motu, violente agitetur, convellatur, sicque vel annexam pleuram distrahat, vel non annexam fricet, terat, prematque.

Resp.

Resp. 2do. Opinio hæc omnimodæ repletionis per pulmonem Thoracis, nondum extra omnem controversiam est. Equidem ipsemet *Tom.* 2. *Rat. Med. pag.* 130. hanc, ut vulgatiorem, amplexus, scripsi; & egregius *Haller in Elem. Physiol. Tom.* 3. multis eam firmavit argumentis; haud vero ita convincentibus, ut argumentorum oppositorum vis enervetur omnis. Profecto non pauca me reddunt subinde utramque sententiam inter fluctuantem. Clarissimi *Hambergeri* de Pulmone per mediastinum prospecto experimentum, necdum sat solide refutatum est: & in Clarissimi Viri *Liber-Kühn* dicto *Crucis* experimento, cur demum, si bullas aëreas, per aquam manifestas, ab aëre, pilis animalis adhærente, natas dixeris; Cur, inquam, hæ bullulæ non apparent, quamdiu pleura animalis necdum aper-

ta eſt? Sed tunc tandem, ubi debita cum cautela, ne pulmonem lædas, pleuram penetraveris?

Etiam quod ex integra pulmonum cum cunctis ſuis parietibus cohæſione, reſpiratione interim illæſa, petitur argumentum, quadantenus ſtringit; haud ita fortiter tamen, ut præſentem litem dirimere poſſet. Quantumcunque enim idem ego, poſt alios in cadavere deprehendi; ita mecum alii multi, nocumenta reſpirandi in vita illorum hominum animadverterunt. Ut tandem evincatur inde id, quod ſi in nonnullis inculpate geſta videatur hæc cohæſio, eo tamen haud minus cum vitioſa, tum morboſa dici debeat, quam vitioſus, ac morboſus hydrops dicatur ſive Pectoris, ſive Pericardii, quamvis pluries deprehendatur illorum in cadaveribus, qui nullam ejus dediſſent in vita ſuſpicionem.

nem. Ignoramus adminicula quibus utatur Natura, ad ſupplenda aliunde, quæ deficere in corpore videntur.

Nunquid & ipſe *Morgagni*, in hac de pleno ſemper Thorace quæſtione, dubius non fluitat? Ad id credendum inducimur, legentes illum Epiſt. 16. §. 5. ſic ſcribentem: „Caſum habes, „inquit, in Sepulcreto deſcriptum, „Adoleſcentis, qui ſe *Williſio* ac *Lowero* curandum tradidit. Is poſt „immodicas equitationes, aliaſque „corporis diuturnas exercitationes, „cum aliquamdiu in ſiniſtra thoracis „parte eum ſenſum habuiſſet, qui „eſſe ſine interna compreſſione non „poterat, ibi tandem ſenſit disrumpi „ſibi vas quoddam; indeque per ſemihoræ ſpatium in regione iſta humoris, veluti ab alto in pectoris fundum cadentis, ſtillicidium „non tantum ab eo percipi, ſed

„ etiam ab adſtantibus audiri potuit;
„ Res non ita facilis explicatu iis,
„ qui inter pulmonis, & Thoracis
„ parietes negant ſpatii quidquam
„ intercedere, vera tamen, ut
„ poſtmodum comprobavit humoris,
„ in eo latere congeſti, cum fluctua-
„ tio in agitatione corporis ab ipſo,
„ ab aliisque *evidentiſſime* percepta,
„ tum eductio per immiſſam a Chirur-
„ go fiſtulam primum, ſemper autem
„ poſtea, per foramen a natura re-
„ ſeratum, & ab arte ſervatum.

22. §. 41. Mulierem 60. ann. prehendit pungens dolor, in dextra Thoracis parte, ut in hanc cubare non poſſit. Remittit poſtea dolor, ut in dextrum decumbat facile. „ Uterque
„ pulmo adhærens Pleuræ invenitur,
„ ſed dexter arctius. Hic totus, & ſu-
„ periore præſertim parte, induruerat;

in

„ in qua abſceſſus erat, quo inciſo,
„ multum ſeri effluxit fuſci coloris.
„ Hoc ipſo colore proxima quoque
„ Pulmonis ſubſtantia infecta erat, &
„ ſphacelo quodammodo correpta. Si-
„ niſter pulmo non ut dexter ex uno,
„ ſed pluribus ex lobis conſtans, qua
„ dorſum ſpectabat, leviter inflam-
„ matus, totaque extima ſuperficie re-
„ liqua nigris hic illic maculis erat di-
„ ſtinctus. In pericardio multa aqua.

De pleura mentio non eſt facta, num inter adhæſiones inflammata eſſet. Credo non fuiſſe. Ex Hiſtoria enim liquet inflammationem pleuriticam metaſtatice in peripneumonicam tranſiviſſe. In horum pleuriticorum cadaveribus, non eſt quod pleuram expectemus inflammatam. Rogabis an juxta explicationes ſupra datas pleura non debuiſſet dupliciter dolere; tum ob adhæſiones cum pulmone, tum

quia etiam citra adhæſiones dexter pulmo graviter, ſiniſter ad dorſum leviter inflammatus, ſubdurus, ſaltem tumidus, fricare illam, ac moleſtare debuiſſet?

Eſt profecto nonnulla hoc explicandi difficultas; verum qui pulmonem unice ſenſibilem in Pleuritide, ac Peripneumonia ſtatuunt, ſimili difficultate laborabunt explicaturi, cur Mulier hæc ad dorſum dextri lateris non doluerit, ſaltem leviter, a leviter inflammato pulmone?

23. §. 43. Dolor pungens dextri lateris. Non niſi in latus affectum cubare poteſt Virgo, ad finem vero in ſiniſtrum. Nona die mors convulſiva. Pulmo dexter pleuræ arcte adhærens inventus eſt, totaque ejus ſubſtantia inflammatione magna affecta, & ulcere inſuper, qua pleuram ſpectabat certo in loco, inter quod ulcus & pleuram ſeroſa erat materies. Ca-

Caſum exponam verbis ipſius *Cl. Morgagni*, ut quam ſenſibilem pleuram crediderit ipſe intelligas: „ Huic „ Virgini, inquit, pungens dolor „ mitior videtur fuiſſe, quam mulie- „ ri, cujus noviſſime §. 41. expoſui „ hiſtoriam. Virgo enim, quod Mu- „ lier non poterat, in affectum cuba- „ bat latus; quamquam & in alterum „ tandem jacuit, *poſtquam ſeroſa ulce-* „ *ris materia laxavit pleuræ fibras, ut dis-* „ *tractionem ferret ab appenſo pulmone.*

24. §. 45. Viro dolor ad mamillam ſiniſtram, nothasque coſtas fuit; in neutrum latus decumbere poteſt. Die 5. moritur. In ſiniſtro pectore pulmo valde induruerat, ad ſubviridem colorem vergens, nigrisque diſtinctus maculis: cum ſecaretur, ſeroſa, ac putrida colluvies, cum miſto ſanguine, erumpebat. A duro pulmone ac turgido, pleuram premente, & in tuſſi

fricante, dolor natus. *Cl. Morgagni* expoſiturus cur hic neutrum potuerit in latus cubare, ſuſpicatur a *Valſalva* in Hiſtoria omiſſam eſſe pulmonum ad pleuram adhæſionem, qua poſita ſemper alteruter pulmo in adverſum latus decubitu pleuram diſtraxit. De maculis nigris pulmonum non loquor; Sæpius occurunt. Videntur ſub mortem naſci. Sic docui ſemper publice. Idem confirmantem in ſequenti Epiſtola *Morgagnum* video.

25. §. 47. „ Juvenis - - - pun-
„ gente dolore corripitur in dextra
„ Thoracis parte, cum febre, &
„ tuſſi. Parum expuit. Circa 8.
„ diem accedit delirium, noctu præ-
„ ſertim Dolor abit, ſed reſpiratio-
„ nis difficultas ſemper gravior fit.
„ Facilis eſt decubitus in utrumlibet
„ latus. Die tandem 10. obiit. Pul-
„ mones induruerant toti, Ambo

erant

„ erant dorſum verſus ad pleuram al-
„ ligati; ſiniſter etiam a latere. Præ-
„ terea cum ſubſtantia quædam alba,
„ quaſi membranacea, univerſæ pleu-
„ ræ, & pulmonibus impoſita eſſet,
„ quaſi reticularis inſtar corporis laxi
„ & mollis; per hanc tamen nonnul-
„ lis in locis Pleura, & Pulmones in-
„ ter ſe erant firmiter colligata. In
„ utroque Thoracis cavo, ſed magis
„ in dextro, multus erat humor colo-
„ re ſimilis ſeri vaccini. - - - Pericar-
„ dium ſero turgebat.

Cl. Morgagni exponit pungentem dextræ Thoracis partis dolorem a Pleuræ ſenſibilitate, diſtractæ forte fortioribus pulmonis alligationibus ante delirium, quam erant in latere ſiniſtro; & a ſeri copia majore. Serum certe dolorem augere potuit cum acredine ſua, tum mole, qua rigidum jam pulmonem adhuc magis in ſuo

motu turbavit: turbatus ita in motu ille, & atterere, & diſtrahere Pleuram debuit.

Sed urgebis neceſſitatem doloris & in altera cavea, cum ibidem eædem exiſterent cauſæ, quæ in dextra dolorem, *Morgagno* explicante, creaverint; ac proinde explicationis vanitatem, cum ſiniſtra pleura ab iisdemmet ipſis non doluerit cauſis.

Verum an is, qui ita me urget, non attendat quanto magis urgeat ſeipſum? Si non Pleura, ſed Pulmo ſenſibilis eſt; ſi dextrum latus ab inflammato Pulmone dolet; cur itidem a Pulmone ſiniſtro inflammato non doluerit juvenis latere ſiniſtro? Viden' difficultatem eandem? Nonne eodem jure, quo ille Pleuram, ſi inflammata, aut laceſſita non dolet, inſenſilem credit, ego inſenſilem ſtatuam pulmonem? Expediam tamen me, non ille,

agno-

agnoſcendo, per experimenta antea enarrata, pleuram, omnesque partes ſenſibiles, quandam inſenſilitatem adverſus cauſas dolorificas aliquando præ ſe ferre.

26. §. 49. „ Mulier 60. annorum „ febre prehenditur vehementi, ſicca „ tuſſi, & pungente ſiniſtri lateris do- „ lore; ſic tamen, ut ſi in hoc cubet, „ non multum doleat. A ſanguinis „ miſſione adeo remittitur dolor, ut „ jam poſſit in quamcunque partem „ decumbere. Febris duntaxat & ſitis „ urgent. Craſſa aliquando expuit. „ Gravior fit reſpiratio. Tandem 13. „ die moritur.

„ Pulmo ſiniſter (dexter, ut bene „ conjecturat *Morgagni*) omnino ſo- „ lutus a Pleura, quæ prorſus illæſa „ erat: ſubalbidus; nigris diſtinctus „ punctis, carne durior, nonnulla „ oſtendit tubercula ſanie ſcatentia.

Pul-

„ Pulmo *siniſter* ſuperius quidem Pleu-
„ ræ per ſe adhærebat; ſed longe mi-
„ nus erat vitiatus, quippe nigris tan-
„ tummodo conſperſus maculis, &
„ jugulum verſus durior parvum ab-
„ ſceſſum continebat.

Iterum cum celeberrimo *Morgagno* dolorem pungentem ſiniſtri pectoris tribuimus Pleuræ, alligatæ illi Pulmonis parti, quæ in eo dura ac turgida, erat.

Sed cur a cauſa doloris pleuræ longe graviore non doluit pleura, in latere dextro? ob eandem cauſam, qua Pulmo, aliis ita ſenſibilis, etiam hic non doluit. Utrinque enigma, niſi ſolutionem in fine proxime præcedentis 25. caſus invenias. Sic & intelliges, cur perſeverante cauſa doloris, auctoque morbo funeſto, ſiluerit dolor.

27. §. 51. Hic & pleura inflammata cum pulmone. Ergo nulla quæſtio.

28. §. 53. Uti etiam hæc hiſtoria.

29. §. 55. Hæc adhuc notabiliorem inflammationem pleuræ habuit.

30. §. 56. Notabilis inflammatio Pleuræ denuo cum ea pulmonis.

31. §. 59. Mulieri 64. ann. dextri lateris fit dolor, ut difficulter in illud incumbat, nec id tangat ſine dolore. Frequens reſpiratio, inanis tuſſis, celerrimus, frequens, parvus, debilis pulſus. Die 7. circa caput ſudat. Deficiens viribus circa nonum periit.

„ Pulmo in cavo dextro valde tur-
„ gidus, ut hoc totum impleret, læ-
„ viter adhærens ad Pleuram ope cu-
„ jusdam quaſi membranæ, inter il-
„ lam & Pleuram interjectæ.

Pſeu-

Pſeudomembranam hanc non moror, ut quæ prope mortem a ſanguine phlogiſtico tranſudante naſcitur, ut pluries innui. Non videtur vera Pleuritis fuiſſe hic morbus, nec vera Pleuroperipneumonia. Haud enim ſolet verus dolor pleuriticus externo attactu exacerbari, ſed ſpurius integumentorum, a Rheumatica v. g. materia; quare etiam *Hippocrates* dolores laterum, a dolore pleuritico, ſolicite diſtinxit: dantur exceptiones tamen; hinc addo aliud: quod nempe nec Pleuriticorum, nec Peripneumonicorum, omnibus facentibus, ſit, qui hic deſcribitur, pulſus. Ita ut videatur a morbo antiquo mors demum pulmone obruto contigiſſe.

32. §. 61. Poſt dolorem dextri potiſſimum lateris, die 18. mors. „ Cum dexter Pulmo a pleura, cui „ adhærebat, ſepararetur, multum pu-

rulen-

„ rulentæ materiæ erupit, ſcilicet ex
„ abſceſſu in pulmonari ſubſtantia,
„ circa quam magna erat inflammatio,
„ pleura tamen illæſa. Siniſter pul-
„ mo erat ſanus. A diſtractione pleuræ dolor non inflammatorius natus, ut pluries ſupra.

33. §. 63. Dolor duorum menſium interni thoracis ad Pleuritidem non pertinet.

Finitis Valſalvianis obſervatis, cum Ep. 21. incipiunt Morgagnianæ. Igitur Epiſt. 21. eodem modo proſequamur.

1. §. 2. ⎤ Hiſtoriæ hæ tres pul-
2. §. 6. ⎬ monis inflammationes
3. §. 9. ⎦ habent ſine dolore. Si quis roget cur hic fricta, tritaque pleura, non doluerit, illi ſimilem proponam, ut ſupra, quæſtionem, de ſuo ſenſibili pulmone. Et addam quæ ad finem 25. Hiſtoriæ Valſalvianæ. Præterire tamen nequeo quod in caſu hoc tertio,

pleu-

pleura admodum laxa inventa, addidit *Morgagni* §. 10. „ Pleuram inquit, „ quæ adhærentes pulmones facillime sequeretur, si laxam fuisse agnoscas; possis inde, ut opinor, assequi, „ cur pondus inflammati lobi non „ sentiret.

4. §. 11. Senex levi adeo catarrho se affici sibi videbatur, ut ne Medicum quidem consulere, imo ut exire vellet. Clam eo vocatus *Valsalva* vicinam adstantibus, ob desperatam Peripneumoniam, mortem prædicit, quæ & intra 12. horas contigit. Ille autem, & *Morgagni*, invenerunt lobum superiorem pulmonis dextri tumidum, durum, sanguine infarctum. Quo etiam insidioso morbo clarum egregiis laboribus suis *Vallisnerium*, septuagenarium, pereuntem vidit *Morgagni*; cujus vero sectum Cadaver non fuit.

An

An hæc illa Peripneumonia Notha? qua in deſcribenda, ideo inter ſeſe *Sydenhamus* & *Boerhaavius* in nonnullis diſcrepant, quod ex peculiari epidemia eam deſcripſerint ſinguli? Cum tamen lobus ſuperior dextri pulmonis præ inflammatione durus, infarctus, ac tumidus eſſet, vide iterum exemplum indolentiæ Pleuræ, aut ſi mavis, Pulmonis.

5. §. 15. Mors plane ſenilis, ad Pleuritidem, & Peripneumoniam non pertinens. Dexter inferior lobus, præ inflammatione durus ſub mortem factus eſt, ut in multis admodum morbis fieri ſupra demonſtratum eſt; ſin minus, denuo & Pleuræ & Pulmonis indolentiæ exemplum præbet.

6. §. 17. Senem ſimul febris, & pungens dolor corripuerat, ad anteriorem partem lateris dextri. Cuba-

bat in dorſum. Poſt dies aliquot curationis eo devenerat, ut jam plenius cibaretur, & purgans ad morbi reliquias expellendas ſumſiſſet. Cum dein multum comediſſet, " Nocte quadam proxima febris, & dolor illius ejusdem partis redierunt. Pulſus erant duri, frequentes, magni, vibrati, ad diem usque ultimum, atque adeo ad paucas ante obitum horas.

„ Pulmonis dextri ſuperior Lobus magnus durusque ſe obtulit. Quem cum ſecarem, ſubſtantiá factam vidimus Hepaticæ ſimilem; pus autem, certe puris haud abſimilem materiem, ſimul cum ſpumoſo humore effluere. In ſiniſtro Thoracis cavo, aqua ex flavo viridis, mediocri copia: Pulmo qua Diaphragma ſpectabat, itemque ad ſuperius latus, ibique arctius, pleu-

ræ

„ ræ adhærebat, flava quadam tenui-
„ que intercedente quaſi membranula.
„ Pleura tamen nusquam in toto hoc
„ Thorace apparuit læſa. Sed ad
„ Pulmonem ſiniſtrum ut redeam,
„ lobus ejus inferior ater, poſterius
„ & durus, ex eadem ibi fuit ſubſtan-
„ tia, quæ a dextris conſpecta eſt,
„ nec pure caruit.

Dolor dextri lateris a ponderoſo pulmone, premente pleuram. Non ita res habet, inquies; nam in ſiniſtro latere a pulmone ſimiliter affecto etiam pleura dolere debuiſſet. Non doluit. Itane? Ergo pulmo tuus inſenſibilis eſt; præ inflammatione enim dolere debuiſſet, & non doluit tamen. Itaque in dextro pectore res ſe, ut ſæpe ſolet, habuit; in ſiniſtro pars doloris capax iterum non doluit; tibi pulmo, mihi pleura.

7. §. 19. Lanius 78. ann. qui alias ſputo ſanguineo laboraverat, a quatriduo infra ſiniſtram mamillam, internum, eumque pungentem dolorem habet. Pulſus omni modo mali: Tuſſis crebra latratui ſimilis: ſputa craſſa ac *polypoſa*: difficilis reſpiratio: decubitus in dorſum duntaxat: poſt venæ ſectionem in ſputis ſanguis. Die 8. periit.

Pulmo dexter leviter cohæſit, in eoque antiqui veſtigia morbi. " Siniſtri vero pulmonis ſuperior lobus
„ nihil habuit vitii, nimio duntaxat
„ feroſo humore ſcatebat. At infe-
„ rior gravis, rubens, durus ut ſub-
„ ſtantiæ hepaticæ. Hic alicubi ad-
„ hærebat Pleuræ. - - - Pleura thoracis
„ parietes, ipſumque adeo Diaphrag-
„ ma conveſtiens, raro ſpectaculo non
„ ſolum cartilaginea duritie erat, aut
„ oſſea, ſed ex magnis paſſim, nec

ten-

„ tenuibus laminis, revera osseis, com-
„ pingebatur - - - Quæ omnia, & si
„ in dextera magis quam læva thora-
„ cis cavea spectabantur; tamen in
„ hac quoque multis in locis pleura
„ ad descriptam constitutionem acce-
„ debat, in quibusdam vero jam erat
„ affecuta; in nullis vero erat subru-
„ bens, nedum inflammata.

Dolor infra sinistram mamillam a lobo inferiore pulmonis sinistri duro, hepatis instar, tum atterente Pleuram sua duritie, tum adhæsionibus distrahente eandem. Legitur pleura non rubuisse, nec necesse erat; constitit enim supra haud omnem dolorem inflammatorium esse. Notavimus in historia anatomica in latere hoc pleuram naturalem, non nisi *in multis locis* ad osseam constitutionem accedentem, adeoque dolere potuisse; quamquam eandem, jam tota si in osseam mutata

ſubſtantiam fuiſſet, ob id inſenſilem fuiſſe, haud facile concederem; cum & certo oſſa doleant. Cui tamen hæc quæſtionis ſolutio infirmior apparet, firmiorem quærat in inflammatis Muſculis intercoſtalibus, quorum examen hic deſideratur.

Pleuræ jam oſſeæ portionem in *Cap. I. Caſu* 3. vidimus, verum olim pleuram dextram pro magna parte in os craſſitiei plusquam lineæ mutatam demonſtravi, quam Vir præſtantiſſimus *Mayer*, Ptochotrophii Phyſicus, in thorace aſthmatici, aut potius orthopnœici Militis inveniens, ilico ad me deferendam humaniter curavit.

Polypoſa Lanius ſputa ejecit. *Tom.* 2. *Rat. Med. Cap.* 7. *pag.* 129. exhibui demonſtrationem ſimilium ſputorum hominis Noſocomii noſtri, & notabiliſſimam aliam hiſtoriam adjeci.

8.

8. §. 23. Quadragenarium corripuit dolor pungens lateris dextri cum febre & calore magno: ſupinus jacebat, mente parum conſtans, ſoporoſus. Ad finem diei quarti obiit.

„ Nihil in pleura, quod præter
„ naturam eſſet, ſpectavimus, niſi quod
„ propter ſpinæ ſiniſtrum latus tri-
„ bus quatuorve exacerbaretur tuber-
„ culis, quorum color albus, durities
„ inſtar oſſis. Ab ea parte pulmo fer-
„ me ſanus, fulvo cæteroquin humo-
„ re imbutus, quacunque ſecaremus.
„ Qui vel uberius ex pulmone prodi-
„ bat dextro. Hic vero (dexter) &
„ major, & gravior, & durior, ubi-
„ que Hepatis ſubſtantiam referebat,
„ exceptis quibusdam non exiguis tra-
„ ctibus, in quibus ſubſtantia erat albi-
„ da, & quaſi ad corruptionem ver-
„ gente.

Cum Pleura bona, ſaltem qua in regione homo doluerat, dolor, qui adfuit, in muſculis intercoſtalibus quærendus eſt, vel in indurati pulmonis affrictu ad pleuram.

Verum cur tribus illis, quatuorve tuberculis, oſſea duritie exſtantibus in pleura, pulmo non doluerit? vel inde arguitur indolentem eſſe pulmonem, vel non replere exacte thoracem, vel ſaltem partes ſenſibiles ſenſu quandoque carere.

9. §. 24. } Reſponſio eadem,
10. §. 27. } quæ ad proxime
11. §. 29. } præcedentem caſum data, ad hos tres convenit. Id modo addam, quod pulmonum adhæſiones ad Pleuram haud ita inculpate ferantur perpetuo, quam nonnulli jactitent: ſi enim omnes hos recenſitos caſus revolvamus animo, videmus plures chronicis pectoris morbis vixiſſe

ob-

obnoxios; in aliis causam variorum pectoris morborum inde facile explicandam videri; tandem haud paucos inde futuræ, ac tandem letalis Peripneumoniæ, causam proegumenam secum diu tulisse.

13. §. 30. Hydrops cum pectoris utriusque, tum Pericardii Hydrope, corrupto etiam pulmone, ad chronicum morbum referendus est; non ad acutos Pectoris morbos inflammatorios, de quibus agitur.

14. §. 32.
15. §. 33.
16. §. 34.
17. §. 35.
18. §. 36.

Cum quinque hæ historiæ pleuram simul affectam demonstrent, non est quod in doloris exponenda causa multus longusque hæream. Ultima musculos intercostales quoque inflammatos exhibet; quale examen utinam non ubique fere desideratum esset!

19. §. 45. Nec arbitror explanatione hanc egere, in qua Pulmo ſiniſter, Pleura, ac Muſculi intercoſtales, præ inflammatione fere in Gangrænam abierunt.

20. §. 47. Ruptum Aneuryſma thoracis ad quæſtionem nihil attinet.

21. §. 49. Neque Hydrops tum pectoris tum ventris ſine inflammatione vitam extinguens.

En nunc obſervata omnia, quæ in toto hoc præclaro opere recenſentur; quæque exp. *Tyſſot.* in Epiſt. diffamatoria ad Exp. *Hirzelum*, imperfecte admodum, ac perfunctorie, examinavit. Ex quibus quid concludat ille, partim vidimus, partim videamus.

Primo numerat 35. Pleuritides, quarum 24. *Valſalvam*; 11. *Morgagnum* refert tradidiſſe. Recenſendo non invenit, niſi in ſex caſibus, inflammatam Pleuram; ea tamen cum reſtrictio-

ctione, ut ex ſex illis duas duntaxat admittat, in quibus Pleura inflammata dici debeat. Adducit deinde egregium *Morgagnum*, veluti, num Pleuræ illæ inflammatæ ſedes pleuritici doloris fuerint, dubitantem; imo demum inclinantem eo, ut Pulmoni, & non Pleuræ, pungentem dolorem tribueret.

Aſt quantum hic a vero aberraverit! Eximium hoc opus continet Peripneumonicorum, Pleuriticorum, ac Pleuroperipneumonicorum Hiſtorias 72. quæ in ſuas diviſæ claſſes ſic ſe habent.

1 Peripneumoniæ veræ ſine dolore, ſunt - - - - - - 4
2 ———————— notæ ſine dolore 1
3 Pleuroperipneumoniæ & Pleuritides illæſa pleura - - - 19
4 Pleuroperipneumoniæ & Pleuritides cum inflammata Pleura 14

5 Pul-

5	Pulmo cancrofus non dolens	1
6	Pleura inflammata fine dolore	1
7	Lateris dolor filens, pergente tamen in mortem morbo -	3
8	Pulmo inflammatus citra dolorem, vel non dolens in loco inflammato	17
9	Mufculi intercoftales inflammati	2
10	Morbi ad quæftionem nihil facientes; ut Hydrops pectoris, Hydrops Pericardii, Aneuryfma internum, Chronicus duorum menfium in latere dolor, &c. in quibus Peripneumonia non fuit Morbus primarius, fed more folito prope Mortem aliis morbis fuperveniens; ut expofitum fupra	14
11	Non examinata vel cadavera, vel faltem eorundem pectora -	4
		80

In hac fumma plures quam 72. videntur recenferi; plures vero non funt, fed quidam cafus ad binas claf-

fes

ſes pertinent, ut v. g. Peripneumonia vera ad 1. & 8. Dolor Pleuriticus ad 3. & 4. & ad 9. &c. Hinc octo numero plures hiſtoriæ dari videntur, quæ tamen numero 72. continentur omnes.

Itaque ſi præclari viri, *Valſalva*, & *Morgagni*, invenerunt 17. inflammationes Pulmonum citra dolorem; unicam vero indolentem Pleuram: quomodo *Tyſſotus* dolorem pleuriticum veluti Pulmoni potius, quam Pleuræ adſcriptum, a binis his gaudeat Autoribus? Si iidem recenſuerunt quidem 19. aut Pleuritides, aut Pleuroperipneumonias illæſa pleura; ſed tamen quoque cum eadem læſa numero 14.: cur ille vix duos ab utroque obſervatos clamitet caſus? Tandem, ut reliqua prætercam, quæ ex hac recenſione proferre poſſem; quomodo ſuas in partes clarum virum utrum-

que

que trahere potuit, dum toties in ipsorum textu legeret; neque dubiis sane expressionibus; dolores pleuriticos, etiam non inflammatæ Pleuræ, sed eidem pressæ, distractæve, adscribi oportere?

An exinde clare non liquet incomparabile *Morgagni* opus male lectum, pejus intellectum, pessime in suam sententiam *Tyssoto* esse laudatum; dum, Illo unice id negante, quod cum illo negamus & nos, non ab obruto pulmone, in hisce morbis, sed a pleura affecta, hominem mori; hic nihilominus eundem sic proferat scribentem, ac si pleuræ omnem denegaret causam sedemque doloris, unico concederet pulmoni? Tentabit forte ex classe inflammatarum pleurarum expungere unam alteramve, ut tentavit antea, eo quod leviter modo ruberent; sed si vicissim ego expungere ipsi tentem omnes

nes leviores Pulmonis inflammationes, nemo hoc tentamine plus illo amittet. Præterquam quod non attendat multis, quibus Nervi delicatuli, a leviore inflammatione graviores dolores oriri, quam aliis, qui nervos habeant hebetiores.

§. V. Et ut demum, quod res eſt, dicam, eſt inperfecta admodum illa omnis ſententia, quæ in allatis hiſtoriis cauſam doloris in unico Pulmone collocet, quamdiu Muſculorum intercoſtalium, illorumve ſaltem involucrorum membranaceorum, deſideratur conditio: ſunt enim partes in lite principes, a *Boerhaavio*, & *Hallero*, doloris creditæ ſedes. Ut vel ob hunc defectum ſolum manca omnia argumenta, & mutilata ſint, non illa *Morgagni*; nam ſive cauſa doloris in Pleura, ſive in Muſculis intercoſtalibus reſideat, mors tamen ſemper Pulmonis in-

infarctu continget; sed illa *Tyssoti*, quibus concludit ideo in pulmone esse sedem doloris, quod non raro Pleura fuerit visa illæsa.

Interim tristem sed non immeritam, contemplemur novi systematis sortem, qua cæterorum more systematum, præ sua cum inconstantia, tum confusione, in suis incunabulis jam senescat. Et quidni? *opinionum commenta delet dies*. In *Halleriano* systemate Pulmo ac Pleura insensibilibus partibus annumerantur, idque ob numerosa vivis capta in Animalibus experimenta: ideoque doloris pleuritici sedes præcipua in Musculis intercostalibus collocatur. Exp. *Tyssot*. dum statuminare hoc idem systema, ac propugnare satagit, ridicula facit omnia, quæ mox laudavi experimenta Ill. *Halleri*; & adversus illa, ac si falsissima forent, unicum Pleuritidis statuit in

Pul-

Pulmone dolorem; imo contra *Hallerum* pro se veluti pugnantes *Valsalvam* ac *Morgagnum* profert. Quid proinde de numerosis aliis *Halleri* experimentis suspicari non oporteat, si ejusmodi eorum propugnator tantam ipsorum partem non suspicetur, sed statuat, falsa esse? At vero ipse Autor systematis, quam non infirmet, non labefactet, non dehonestet illud, quando in Tomo primo *Elementorum Physiologiæ*, operis quod æternum durare autumabat, Animam *Stablianam* de œconomia animali penitus proscribit; & *Tomo tertio* sic priscæ dignitati restituit, ut totius Machinæ respiratoriæ sit Domina, sit unica Moderatrix! Nihilo secius Exp. *Tyssot* non modo systema propugnat, verum in Regulas reducit Artis, ut v. g. ne quis ultra ambiguus hæreat utrum pars sensibilis, insensibilisve sit, id modo tenendum esse cen-

ſet, ut quo teneriores Animalis ſint partes, eo eſſent ſenſiliores; eo inſenſiliores, quo duriores: interea dum mollem pulmonem acutiſſimo ſenſu donet; & lapideæ duritiei dentes, ſenſibiliſſimos cum ceteris debeat percipere mortalibus.

§. VI. Ad irritabilitatem Cordis, quam omnes, ſed limitatiorem, admittimus, ſtabiliendam, egregius *Hallerus* 50. & ultra experimenta partim in frigidis, partim in Calidis animalibus a ſe facta recenſet, quibus probare anniſus eſt: „ Siniſtram auricu-
„ lam, & Cor ſiniſtrum, ideo citius
„ mori, quod Pulmonibus nihil ultra
„ ſanguinis transferentibus, haud am-
„ plius a ſanguine irritentur. Dein-
„ de ſenſim ventriculum dextrum,
„ noviſſimeque dextrum auriculam,
„ quoque quieſcere, eo quod non ac-
„ ciperent ultra a cavis venis, quo

irri-

„ irritarentur, ſanguinem. E contra-
„ rio vero ſi Venas cavas, Aortamque
„ ligaſſet, dein vulnere lato aperuiſ-
„ ſet pulmonarem Arteriam, tunc
„ Cor ſiniſtrum, utpote irritatum ſan-
„ guine, qui ex auricula in ventricu-
„ lum, & ex ventriculo in auriculam
„ moveretur, diutius, imo per horas,
„ in mortuo animali vivere; interea
„ dum Cor dextrum, ejusque Auricu-
„ la deſineret vivere expulſo omni
„ ſanguine per pulmonarem apertam
„ Arteriam, nec novo per ligatas af-
„ fluente cavas. Oportere autem Ven-
„ triculum dextrum integre eſſe eva-
„ cuatum, ſi, ne ſe ultra moveat, ve-
„ lis: tantam enim eſſe irritabilitatem
„ cordis, ut relictum in eo vel pau-
„ culum ſanguinis non ſinat ventricu-
„ lum quieſcere.

Ad hæc in *Difficultatibus meis* oppoſueram *Harvæi*, *Plempii*, *Riolani*, *Ho-*

gelandii, & *Batholini* cxperimenta, quæ in Cadaveribus cordis thalamos ſanguine multo repletos demonſtraverant, meaque propria, haud ſane pauca: quibus omnibus id evincere conabar, ut ſi verum hoc foret, quod mortuorum animalium cordibus ideo motus non ceſſaſſet, quia cruoris pauculum in ventriculo reſtitaſſet, nemini fere mortalium cor a motu ceſſaret, quandoquidem in Denatorum pleriſque cordi, ejusque utrique ventriculo, reſiduus ſanguis, ac crebro copioſus, inveniatur.

Attamen in ſua adverſum me *Apologia* vir clariſſimus hanc tot Anatomicorum, meamque propriam, experientiam, non admiſit. „ Et licebit, „ inquit, ejusmodi rationes objicere „ experimentis, quæ docent cor per„ fecte expalleſcere in Ranis, in Pul„ lo, atque adeo perfecte inaniri? ſi

„ autem

„ autem evacuatur, potuit, puto, „ evacuari. Sed neque adeo rarum „ eſt in homine inane reperiri, inque „ infantibus, matrum nefariarum ma- „ nu occiſis, etiam familiare.

Reſpondi in *Vindiciis* ad hæc *pag.* 223. *ad* 232. ipſis *Halleri* verbis, ac ſententiis, quas alibi ſparſim protule- rat, & quæ nunc iterum in hac ſua *Apologia* mutabat: unde demum Viri doctiſſimi ſortem deplorabam, eo quod hinc vi Veri preſſus, vera agnoſceret: illinc infauſti ſyſtematis amore illectus, negaret omnia, quæ vel ipſe prius ſcripſiſſet, vel ego ex ipſiusmet attu- liſſem operibus.

Aſt vero non reſpondi ad ultima hæc: „ Sed neque adeo rarum eſt in „ homine inane reperiri, inque infan- „ tibus, matrum nefariarum manu „ occiſis, etiam familiare. Etſi hoc ultimum ultro largiremur, tamen in-

fantum, vel dum naſcuntur, vel mox ab ortu ſuo occiſorum, circulatio non permittit eorum cordium conſpectum ad præſentem de Adultis, aut ſaltem perfecte reſpirantibus, quæſtionem adferre: unde mittimus hæc: quod vero dicat „ neque adeo rarum eſt cor in „ homine inane reperiri " ad hoc repono 1mo quotquot Cadavera non animalium (in his enim ſanguinem multum, utroque cordis in thalamo, poſt perfectam quietem Cordis, me inveniſſe *Rad. med. Tom. VIII. Capite ultimo* ſcripſi, ac demonſtravi, ſimilia paulo poſt prolaturus,) ſed quotquot Cadavera humana poſt editas meas *Vindicias* aperui, in illis iterum me conſtanter ſanguinem, eumque ſæpe copioſum, in cordis utroque vidiſſe ventriculo; & ex quo moris mihi fuit cordis inverſi ventriculum poſteriorem, ſeu ſiniſtrum, prius aperiundi, me

me illud ſæpe æque plenum, nec haud ita raro dextro plenius, reperire.

2do in magni *Morgagni* opere magno tam ab eodem, quam a *Valſalva*, *Mediadia*, aliisque, centies nonageſies & octies narratur quo pacto Cor, in eoque ſanguis, humanis in Cadaveribus, ſe haberet. Si demas pauca, in quibus vel utrumque vacuum repertum eſt, ut V. C. poſt ingentes hæmorrhagias, vel alterutrum, ut in Hydrophoba, &c. videbis ſaltem centies ac ſeptuageſies cor aut modicum, aut multum, aut plurimum, utroque in Ventriculo, ſanguinem geſſiſſe; eundemque ſive fluidum, ſive grumoſum, ſive polypoſum, ſive denique ex pluribus, omnibusve horum, aliquid habentem.

Hæc porro ſi dignaretur Ill. *Haller*, ſuis cum obſervatis conferre, videret

Primo, ſua non convenire cum meis, quæ hujus *operis tomo* 8. in canibus facta communicavi. Secundo, etſi convenirent cum meis, nihil tamen ad Cor humanum facere, ſi jugis humanis in cadaveribus capta experientia monſtraret contrarium. Diceremus potius cum Clariſſ. *Morgagni Ep.* 12. §. 14. qui, dum objeciſſet ſibi, „ At „ *Rhedius* tamen cerebro Teſtudinibus „ excepto, has vidit, inquis, diu, & „ nonnunquam ſex ipſos menſes am- „ bulare potuiſſe " ſcite reſpondet. „ Ego vero de perfectis, ut vo- „ cant, animalibus, *atque adeo de* „ *Homine*, hic verba facio; & tu „ mihi teſtudines narras, quas fa- „ cere motum vel corde ablato, „ non ignoravit *Ariſtoteles*. Tertio autem lege conſtanti humani cordis utrumque thalamum ſanguine, ac

paſ-

paſſim multo, gaudere in Cadaveribus; adeoque ejus integrum de Cordis irritabilitate ſyſtema corruere.

§. VII. Terminabo hoc caput animi teſtando lætitiam, quod non temere hoc novum ſyſtema amplexus, aut, quod plus eſt, non in Pathologia exponenda cæce ſequutus ſim, ſed prius ſedulo ſtatuerim examinandum eſſe. Quam ſubito a tergo ſecuta fuiſſet pœnitentia facti! Quid quod ipſi ejuſdem conditores ſua incomprehenſibili inconſtantia, ac manifeſtiſſima contradictione, coegiſſent me canere palinodiam e ſuggeſtu? Equidem laudo illos, veneror que, qui ejuſmodi nova proferant, quæ quo rigidius examinantur, eo rutilantius fulgeant; qui vero non talia, eos ut deſiſtant hortor. Nova indies prolata, quæ examen non ſuſtineant, peſtes ſunt in ſchola medica, tum quod diſcere, &

dediſcere temporis irrevocabilis, irreparabilis jactura ſit; tum quod ſyſtema docere, idque mutare; aliud forſitan ineptius adoptare, rejicereque, docentibus turpe ſit, & noxium diſcentibus. Utinam demum foecunda fingendi ingenia Syſtematum ſuorum inanitate defatigati, deque eorundem nocumento convicti, eo demum usque ſaperent, ut caducæ inventi ſyſtematis gloriolæ abnegantes, ad ſalutare Naturæ ſtudium, quo unico *Hippocrates*, quo ſolo quoquot magni Viri *Hippocratem* ſecuti ſint, claruerunt, æternumque clarebunt, animos nobiſcum intenderent, Artisque pomæria more *Hippocratico* extendere ſatagerent! Interea dum id ab illorum ingenuitate expectamus, in id ego ſedulus annitar, ut ad lectos ægrorum, una cum circumſtantium Diſcipulorum Corona, ſimplicem Naturam contemplan-

plando magis intelligam magisque, in omnibus plane Asystematicus.

CAPUT V.
DE MORBO ILEO,
ET
PROSECUTIO EXPERIMENTORUM
CUM
MACHINA ADAPTATA AD EUNDEM ETIAM DESPERATUM, SOLVENDUM.

§. I. *Morbus Ileus periodicus, quem olim Nix ventri circumposita, epotaque frigida, solverant; alia vice minime, sed cortex peruvianus; jam Tabaci fumo in anum injecto solvitur.* *Prophylaxis.* §. II. *Iliacus morbus constricta hernia oriundus, gelidæ aquæ externa applicatione subito in gangrænam letumque conversus.* *Emphysema*

ſema terribile inde. Anatome. Collum Hernioſi ſacci in umbilico adeo laxum, ut ſi ſic in vita fuiſſet, facili negotio hernia reponi potuiſſet. Aliud exemplum recentiſſimum Herniæ umbilicalis, curatæ fere protinus gelidiſſima fomentatione. §. III. quædam de Machina Italica ad ſolvendum Ileum. Plurima experimenta in canibus facta; quorum unum, cum formidandum, tum Doctrinæ ferax. Varia contemplatio functionum Vitalium in ſemivivis animalibus. Quædam de Tænia.

§. I.

Annus Academicus proxime elapſus ſuppeditavit mihi ſingularis Ilei morbi contemplationem. Homo 30. & aliquot annorum, â 20. feré retro annis ſæpius hoc morbo laboraverat, ter aliquando, quaterve in anni unius ſpatio. Sicciſſimi temperamenti erat, ob idque etiam ſiccioris, quod execranda Onania turpiter ſe commaculare conſueviſſet.

Con-

Consuetis artis adminiculis sæpius ab hoc morbo restitutus, *Neapoli* demum eodem afficitur, adeo gravi, ac pertinaci, ut a consuetis, ac juvare solitis adminiculis, nullum consequeretur solatium.

Etiam ventri universo circumdata Nix, quæ quondam in graviore paroxysmo profuerat, nihil opitulabatur. Alius demum advocatus Medicus, cortice peruviano morbi tentandum esse levamen ratus, sopivit eo vomitum primum, deinde Ileum.

In frequentium adeo paroxysmorum plerisque, aqua gelidissima, eaque epota largiter, Vomitum omnium auxiliorum felicissima compescuerat. In præsenti autem paroxysmo necdum. Nec juverant enemata, purgantia, cataplasmata, fomenta, paregorica. Quin & tabaci fumus bis injectus in anum, & mistura ex mentha cum

sex

ſex opii granis brevì ſpatio aſſumpta, nihil profuerant; niſi aliquot exinde elapſis horis.

In conſilium quippe advocatus inchoante die tertio, inveni cum dolorem, tum vomitum, ab aliquod horis minus violentos. Pulſus quamvis frequens, plenus tamen erat, nec durus, nec inæqualis; blandusque ceperat profundi ſudor. Autor fui iisdem uti pergerent, quibus hæc emendatio jam cepta eſſet, nihil mutando donec res in melius verti obſervabatur: ſin minus, fumum repetendum eſſe Tabaci.

Cum morbus ſexta exinde hora elapſa ingraveſceret, injectus eſt tabaci fumus. Aſſeruit tunc ægrotus lævo abdominis in latere, quæ in quovis paroxysmo præcipua ſedes doloris, tale quidem ſe manifeſto deprehendere, ac ſi contractum quid, & dolens, ſu-

ſubito evolveretur, eoque evoluto, ſe levius pati. Continuata deinde opiata miſtura, levamen minus celere, ſi præ ſiti calide; celerius, ſi frigide biberet, obſervabat. Itaque etiam conceſſa frigida eſt. His auxiliis ſenſim vomitus ceſſavit, prodiit alvus, conticuit dolor, & ſolutus brevi omnis morbus eſt.

In conſilio tunc de prophylaxi actum. Ea ab abſtinentia nefandi criminis, & ab uſu lactis cum pilulis ſaponis veneti, gummique ferulaceorum, petita eſt. Profuere: ſic, ut jam ultra medii anni ſpatium paroxysmus defuerit.

II. §. Quo illa cura fortunatior erat, eo hæc, quæ ſequitur, fuit infortunatior. Mulier quinquagenaria à 15. retro annis herniam a partu umbilicalem habuit, quam cælabat, reſtituebatque ſemper ipſa elapſam. At ve-

vero vespere quodam elapsi proxime januarii eandem plurimum egressam reponere nequeuns, dira per noctem passa tormenta est. Summo mane repositione frustra tentatâ, vena ipsi tundebatur; plura, eaque variæ materiæ Enemata, injiciebantur; & gelida aqua herniæ, quæ capitis molem æquabat, circumposita, laborioseque renovata est. Post meridiem primum illam vidi, Herniam examinavi, quæ capitis, ut dixi, magnitudine, ac duo in tubera divisa erat. Repositionem vero frustra tentavi. Enemata fumi Tabaci, & varii generis alia immittenda sæpius esse censui, &, quia a frigidis omnia in pejus, emollientia, ac calentia cataplasmata admovenda esse, exhibendaque Paregorica. Sed nata intra 24. horas visibilis gangræna, feminam sustulit trigesima morbi hora. Horis á morte 35. elapsis cadaver aperui.

rui. Enormi totius corporis emphysemate Monſtrum erat. Ut ſi dixero quadruplo majorem, ceterum craſſi corporis, fuiſſe molem, minus dixero. Sandapila includi certo non potuiſſet. Fætebat necdum apertum. Dum ad locum herniofum cutim gangrænoſam incideramus, aër fætidiſſimus ſibilo ſtrepituque violentiſſime erupit, ſibilandoque erumpere continuavit ex corporis perſciſſa celluloſitate. Ne in animi deliquium caderemus omnes, neceſſe fuit, quotquot januas feneſtrasque conclave haberet, extemplo aperire, & aera accenſo pulvere maſtiches, & olibani, multique aceti vapore, luſtrare.

Sacco demum hernioſo aperto, invenimus inteſtinum tumidiſſimum ad ulnæ dimidiæ longitudinem extra umbilicum. Umbilici dilatatio nullo modo conſtricta, ſed ampliſſima erat, ut

commode ire, ac redire, inteſtinum potuerit. Principio videbatur inteſtinum binis extuberantibus ſaccis adhærere; unde credebamus hinc impoſſibilem repoſitionem herniæ fuiſſe; verum attentius omnia revolventibus, nulla Inteſtini cum ſacco adhæſio patuit. Examinis proſecutionem fætor prohibuit, haud ultra ferendus.

Spaſmodicæ partium conſtrictiones, ipſique Tetani, nonnunquam a morte ſolvuntur; non raro permanent; ut maxillæ tetanum, triduo á morte necdum ſolutum, olim viderim, ac deſcripſerim. In hac femina ſolutam conſtrictionem fuiſſe poſt obitum ſuſpicor; in vita vero minime; cum alias inteſtinum facile reponi potuiſſet in ventrem. Gangræna in ſacco, & in integumentis erat, vix in ipſo inteſtino; quod potius dici debebat inflammatum.

In-

Incarceratæ huic herniæ gelida aqua, *Heistero* cum maxume commendante, admota non profuit: homini autem iliaco cum epota profuit ad vomitum, tum ventri hæc, vel nix ipsa, adplicata; tamen nix non semper, aqua ut plurimum ore hausta. Et gelidæ internus, externusque usus, Matronam iliacam curavit, applicante *Nabotho*, aspiciente, & testante *Hoffmano*. Quin & feminam 73. annorum, quæ die 5. constrictæ suæ herniæ, quam operatione chirurgica reponi constanter recusaverat, morti jam propinqua videbatur, Illustris Medicus, ac Poliater Haga-Batavus, *Abrahamus Westerhoff*, Amicus meus candidissimus, & antiquissimus, hisce diebus mortis e faucibus eripuit, cataplasmati calenti substituendo gelidæ copiosæ fomentum: ex quo vetula vix ad mediam horam tota inhorrescens,

jamque moribundæ ſimilis, mox dein levamen, poſtea ſedationem omnium ſymptomatum experta eſt, abortaque diarhœa putrida, integre reſtituta.

An frigus, conſtringendo inteſtinum, materiem obſtruentem ex hernia liberiorem in partem expellit? Num univerſo corpori incuſſus a Gelidæ applicatione externa, internave, horror ſtringendo omnia, ſic arctat Ventriculum, & Inteſtina, ut motus antiperiſtalticus ſopiatur? utque, eo quieſcente, per reſiduas vitæ vires motus periſtalticus animetur ad ſolvendum morbum? ſimulque eadem conſtrictione ſolvit alvum? Eſt ne remedium, quod, ni juvat, occidit; inducendo gangrænam? Nunquid etiam cortex peruvianus, potens in multis, *Sydenhamo* dudum notante, remedium purgans, perinde, atque aqua gelida, Ventriculum atque Inteſtina, conſtringendo, ſimulque

que hac adſtrictione fœces promovendo, morbum *Neapoli* ſolvit?

Verum in homine hoc macilentiſſimo & exſiccatiſſimo, magis probabile apparet, hac, ſive gelidæ, ſive corticis adſtrictione, inteſtinum, jam ratione temperiei contractiſſimum, ſic claudi oportuiſſe, ut morbus redderetur plane conclamatus.

Si dixeris forte corticem peruvianum minus hic egiſſe, ratione adſtrictionis, quam virtute ſua in agitatos, inordinatoſque nervos ſpecificâ, qua v. c. æque in macilentiſſimo homine, quam in laxiſſimo, intermittentium, ſeu remittentium febrium, ſopit aggreſſus; quomodo demum gelidæ aquæ, quæ utique hac vi ſpecifica minime gaudet, expones actionem?

An igitur credibilius eſt, ut alias experimur, hominem hunc tum temperie, tum infanda conſuetudine, ex-

ſiccatum, nervos ſuos habuiſſe debiles ultimamque coctionem, & nutritionem, præ vaſorum minimorum conſtrictione vitiatas; adeoque multa Viſcera, Inteſtinaque ſua, omnino flaccida, & inertia? Modus utique, quô ultimus paroxyſmus ſolvebatur, qui fere ſolutæ Intro-ſuſceptionis Inteſtini videtur, ſpaſmum flaccidis inteſtinis acceſſiſſe forte innuit.

§. III. Cum morbus ſit formidandus, nec raro cito necans, mirum non eſt, forti nodo quæſitos fortes cuneos eſſe, & in deſperatis deſperata tentata. Elapſo anno *in Tomo VIII. cap. ultimo* Machinæ memini, quæ a Clariſſimo viro, ac præſtantiſſimo *Mediolanenſium* Medico *Widemar*, mecum fuerat communicata; una cum experimentis, cum antea in *Italia* per *Italos*, tum a me *Viennæ* captis; quibus addidi nonnullas, & Practicas, & Theoreticas obſer-

obſervationes. *Viennæ* necdum in homine captum experimentum eſt: *Mediolani* hoc anno unus; *Monzæ*, olim *Modoeciæ*, alter; ab Iliaco morbo, effectu hujus Machinæ, curati ſunt.

Mediolani Auriga 55. annos natus, Baccho, ac Veneri litans, in Anorexiam incidit, alvumque tardam; & quidem ſic tandem ut licet præclariſſimus, verſatiſſimuſque Practicus, *I. de Widemar*, quæcunque artis auxilia tentaſſet, æger tamen jam eſſet in diem 17. aut 18. alvo clauſus. Adplicata Machina primo ſcybala duriſſima; eademque, bis adhuc deinceps admota, copioſam alvum ſolvit: ita ut in ſua jam antiqua ægritudine, quæ eum in Noſocomio binis poſtliminio menſibus ſuſtulit, alvum ſolvente remedio haud indiguerit ultra.

Monſæ autem *Rev. Pater Kolm*, *Tridentinus*, *ordinis S. Aug.* Iliaco morbo

 cor-

correptus, ope Machinæ, unica vice duntaxat admotæ, alvum ita copiosam habuit, ut altera adplicatione non egeret. Haud equidem vidit hunc ægrotantem ipse *Widemarus*, sed rem totam rescivit a dexterrimo chirurgo Mediolanensi *Ucelli*; qui cum sua Machina *Monsam* vocatus, eandem Viro Reverendo ipse admovit.

Quamvis iterum res in utroque hoc casu successerit, meretur tamen, antequam in homine tuto tentetur, serio, matureque perpendi. En quæ posthac expertus sim!

Die Maji 27. canem mediocrem Machinæ adplicuimus, præsentibus Clarissimo Domino Gottingensi Professore *Vrisberg*, & Clarissimo Domino Medico Viennensi *Hirsch*. Canis ab injecta aqua ter vomuit; ilico post hilaris denuo, sanus, famelicus. Effluxerat non parum ex ano aquæ: sub

inje-

injectione jacuit canis dum injiciebatur.

Eidem cani die 5. Junii experimentum repetivimus ſtanti, ſiphone ope linteaminum ſic ad anum firmato, ut parum admodum reflueret retrorſum. Perfecta intra duo minuta operatio fuit. Canis ter valide vomuit, ſanus exinde, ac famelicus.

Die 12. Junii ipſi huic cani ſtanti, obfirmato rite ſiphunculo, intra minutum & aliquot ſecundas tota operatio perficiebatur. Denuo ad tertium vomitum injicere perexeramus. Borborigmi exaudiebantur, & venter valde ſub finem injectionis intumeſcebat.

Laqueo porro eum extemplo ſtrangulantes, Thoracem aperuimus, partium vitalium contemplaturi actionem. Aperto Thorace laqueus pauculum laxabatur, quo nobis beſtia redderet aſpectum, quem quærebamus, vivi-

 dio-

diorem. Vita autem nimia nihil non turbabat, ventriculo aqua diſtentiſſimo per anguſtum foramen, quod profector aperiundo Thoracem in ſummo Epigaſtrio inflixerat, ſe penetrante; unde conſtriximus denuo laqueum.

Aperto pericardio cor bene ſe contrahebat, contractili motu obſervato tam ad baſin, quam ad cuſpidem. Potuimus omnia per horæ quadrantis ſpatium contemplari, & quo cordis ſiniſtri, ejusque auriculæ motum accuratius intueremur, cor pro more parumper invertimus.

Sæpe lente, ſæpe iterum cito, Auricula ſiniſtra convellebatur. In ventriculo ſiniſtro motus palpitans diutius perſeverabat, quam in ejusdem auricula. In dextra Auricula motus omnium diutiſſimus, ut & in Thalamo dextro, cujus vita diuturnior eâ ſiniſtri adparebat, eo quod ſiniſtri apex

a dex-

a dextri ventriculi contractione duntaxat moveri nobis videbatur: errabamus autem: ipſum cor ſiniſtrum erat, quod primario movebatur, ut patebit mox.

Silente corde Abdomen aperuimus. Ut in præcedentibus, ita & in hoc cane parum erant inteſtina expanſa, Ventriculus autem vehementer. Valvula coli connivebat. Vermicularis proceſſus coli valde expanſus.

Redeuntes ad cor, vidimus ex eo ſiniſtro Thalamo copioſum ſanguinem, plane fluidum, prodeuntem; etiam ex dextro multum. At ventriculus ſiniſter duplo ad minimum erat dextro amplior: Ut pateret ſiniſtrum fuiſſe, qui tam diu pulſaſſet, nobisque veluti dexter eſſet, impoſuiſſet. Levis tamen palpitatio ventriculi dextri ſupererat, ſilente ſiniſtro. Immoto fere corde, per anteriora aſperæ ar-

teriæ

teriæ pulmonem inflantes, pauculum aſt breviſſimum cordis motum excitavimus.

Aug. 24. die cani haud interrupta Machinæ actione aquam tepidam injecimus ſic, ut animal intra minutum temporis, vomeret, & ut, injectione ſpatio duorum minutorum continuata, fere quinque aquæ libras vomitibus ejiceret iteratis, unaque nonnullas teniæ portiones. Extracto extra anum tubulo, haud tanta vis aquæ, ut quidem alias, ex illo proſiliit. Canis e manibus noſtris dimiſſus, pro more ſe primo momento abſcondit, verum diutius ſub Arca dilituit, ac fere tota die, contra id quod in aliis canibus obſervaveramus, occuluit. Fluxit ex latibulo ſuo multum aquæ, orene, an ano, incertum. Vomitus ſub operatione ad tres modo digitos, non ut olim in aliis canibus ad tres

pedes

pedes, prosiliit. An quod hic ventre suo ad tabulam adplicaretur, & alii suis quatuor pedibus erectis tenerentur? sicque hi, præ illo, ad vomitum violentiorem aptiores?

Alteri cani injecimus aquæ circiter libram, visuri num alvus, educto siphone, vi emitteretur. Effluxit vero potius, quam erupit; contra quam in aliis observaveramus. Similisque fuit experimenti iterati effectus. Deinde continuata opera aquam duorum minutorum spatio injecimus. Hic veró canis neutiquam vomuit, sed vehementer intumescens, mortuus est. Presens erat Doctissimus *Mummssen*, Medicus *Hamburgensis*, & ni fallor, Doct. *Nitert* Medicus *Batavo-Transisalanus*, nec non Doctiss. Medicus *Lucensis Michaël Moni*.

Ipso momento incidimus illum. Cellulositas ad ventrem, & ad Thoracem

cem aqua plurima ſcatebat. Hinc quærebamus nos inter, an animalis agitatione ſiphunculus ad ani margines in celluloſitatem vicinam penetraſſet ſe ſe, non vero in cavum recti introductus manſiſſet? ſed turgidiſſimus venter internam læſionem innuebat; demonſtrabatque id poſtea copioſiſſima, ventre contenta, & effluens aqua. An læſiſſet, perrupiſſetque Rectum ſiphunculus? ſed leviter tantumodo inducta fiſtula in anum ænea, aërem per illum in Rectum inflavimus, qui colon intrans, idque expandens, manifeſto docebat minime penetratum Rectum fuiſſe.

An itaque nimia valvulæ coli reſiſtentia repuliſſet aquam? eaque ſibi in vicinia valvulæ in abdomen viam paraſſet? Sed, quem inflaveramus, aër, qui eo, quo aqua, penetraſſet, quoque non penetraſſe, ſed inteſtinum

expan-

expansisse, nobis clare videbatur. Quo, tamen omnis auferetur dubitatio, injecimus ope Machinæ per anum aquam, moxque vidimus vix notabile volumen aquæ ante valvulam colligi, quin superaret illam, ileumque repleret intestinum.

Ergo altius origo phænomeni quærenda fuit. Intestinum jejunum in quadam plaga inveniebatur dehiscens in sua peritoneali tunica, integri digiti longitudine; in medio verò hujus fissuræ totum intestinum divisum erat, latitudine pollicis: pauloque inde remotius altera digitum minimum longa fissura, sed exterioris duntaxat tunicæ, reperiebatur.

Quamvis jam patere videretur, id quod quærebatur; inquirere tamen voluimus, num forte altiore in loco quid lateret, quod elucidare nos posset? Aqua enim per datum foramen effluе-

effluere in ventrem potuisset vel sola vi Machinæ, vel ab obstaculo, quod forte plaga hac fissa altius hæreret. Itaque ligato jejuno supra hanc plagam, proximeque ad eam, aërem per œsophagum immisimus. Ille vero successive inflans Ventriculum, Duodenum, & eam Jejuni partem, quæ suprà ligaturam erat; hasque partes in sua distentione constanter servans; abunde evicit nullum hæsisse suprà ligaturam obstaculum, quod aquæ transitum remoraretur.

Historiæ sic enarratæ explicationem periclitabor, quæ mihi admodum naturalis videtur, omnique satisfaciens phænomeni parti; opinionem suam cuique relinquendo integram.

In Hernia incarcerata est pars intestini ingrediens in saccum herniosum, parsque ejusdem regrediens in Ventrem. Pars ingrediens non raro in-

invenitur cum ſtercore, tum aëre, ita turgida, ut altera pars regrediens ex ſacco in ventrem complanetur tota, fiatque impervia, & nihil ultra ex inteſtino prolapſo remeare in ventrem poſſit.

Simile quid videor mihi dato in caſu videre: inteſtina convoluta multis in locis ſuperſcandunt ſe, pars alia aliam premit, in cavo abdomine. Sic ſecundum naturam. Verum aqua, violentia noſtræ Machinæ agitata, expleat ſubito ejuſmodi Inteſtini partem, quæ aliam ſibi proximam ſuperſcandit; an facile non capitur partem hanc ſuperſcandentem, ſi ab una parte conſideretur abdomen jam plenum pluribus aquæ libris, ut evolutio compreſſi inteſtini ultra ſperanda non ſit; ſi ab altera parte aqua continuet vi impelli eadem; an non facile capitur, inquam, partem hanc ſuperſcandentem

ſubjectam ſui partem ſic comprimere, ut omnis ejuſmodi dematur cavitas, omniſque ad hanc demptam cavitatem impulſa ſiſtatur aqua? In ſumma Inteſtini hoc in loco expanſione videntur mihi tunicæ interiores hiaſſe exterioribus priores: Aqua vero continuata vi impulſa, eodem modo hiantis cellulosæ tunicæ cellulas ſubiiſſe, quo ſolet in emphyſemate aër. Communicante autem hac celluloſa tunica per meſenterium, cum univerſi celluloſitate corporis, intelligi videtur, cur adeo copioſa aqua efflueret, ex celluloſa tunica, circumdante Abdomen & Thoracem. Permanente igitur vi impulſæ aquæ eadem, Inteſtinum jam interiorum tunicarum fiſſura debilius, rimam eandem completam egit, effuditque cavum in ventrem aquam. Quod porro Inteſtini ejuſdem pars ſuperior, non internis, ſed externa tunica,

nica, hiulcaverit, inde natum reor, quod aqua cellulosam tunicam jam ingressa, complicatam forte hanc intestini partem sic plus ceteris extenderet, ut demum externa tunica dehisceret.

Adde ad hæc omnia eum, qui machinam dirigebat, testari, se nunquam velocius, minusque interruptius, ejusdem alternantia manubria agitasse.

Multa profecto nos docet hoc experimentum. Et quidem 1mo hanc Machinam offendere ejusmodi in corpore resistentias posse, ut funesta evadat. 2do Eo magis Italos amicos, viros clarissimos, laudandos esse, quo in vivo homine mitiores paucioresque injectiones fecerint, posteraque potius, tertiave die, repetierint. 3tio Cum constiterit jam humana cadavera non omnia sic esse disposita, ad coli valvulam, ut transmittant impulsam vi machinæ aquam, ut *Tomo VIII.* pa-

 tuit,

tuit, etiam hac de caufa leniter ac breviter hic agi oportere; ne in Colo idem contingat, quod in Jejuno canis: aut fi non hoc, ne faltem anxietates oriantur, minime fufferendæ. 4to Nec omnem extra metum effe, ut nonnunquam ad incarceratas Hernias admota machina, vis impulfi liquidi, aut inteftinum compreffum non aperiat; aut, fi aperiat, non ita comprimat fubjectam, quæ jam compreffa nimis, partem, ut omnis per eandem fit impeditus in ventrem influxus; alterutroque demum modo idem infortunium in homine, quod in cane, excitet. 5to Forfitan hinc illarum anxietatum originem, naturamque intelligi, quæ in inteftino, quod pro parte tympaniticum fit, quæque fimiles in colicis flatulentis crebro contingant; tum & fic concipi, quo demum pacto verus Ileus, licet flatulentus tan-

tum-

tummodo, naſci queat; idemque, dum dura atque indigeſtilia alicubi in Inteſtino nimium retardentur, ac compingantur.

Die Aug. 28. in eodem cane, in quo una cum illo infortunato ante quatriduum, experimentum repetitum eſt, nec non in altero, & in tertio. Ab injectione deſtitimus, ubi omnes libras tres quatuorve, in tribus aut quatuor vicibus evomuerant, lente ſemper agitata machina. Neque omnes hi tres canes tanta vi, tantoque jactu, ac quidem olim ſæpe obſervaveramus, aquam alvo, educto ſiphone, ejecerunt. Liberati e manibus noſtris, ore, & ano dimiſerunt aquam; hac emiſſa, alacres cucurrerunt, comederunt, ac diu ſani manſerunt in Noſocomio

Septembris 3. binis illorum; aufugerat enim tertius; repetita injectio

 eſt

eſt ſic, ut priorem tertio vomentem dimiſerimus; alterum vero, ingentem profecto canem, injectione producta eo, ut quidem nondum vomeret, ſed jam vomituriret, ſtrangularemus, viſuri num forte quid aliud hoc experimento, nondum antea tentato, diſceremus.

Inteſtina craſſa & tenuia neutiquam extenta ſed expanſa fere naturaliter erant. Duodenum duplo amplius; ventriculus autem ita expanſus, ut aquæ contineret libram ſeſqui alteram. Notavimus antea in canibus, quæ etiam vomuerant pluries, parum expanſa Inteſtina fuiſſe, Ventriculum autem quam plurimum; unde & dimiſſi vivi canes multum ſemper poſtea vomuerant. Similiter rem in humani cadaveris inteſtinis, ac ventriculo olim deprehenderamus, etſi multum aquæ ore jam elapſum eſſet. Manu pre-

mente

mente, omnem fere aquam illam per æſophagum expulimus.

Cor utrumque fluidiſſimo ſanguine plenum; ſic ut inciſione primum in ſiniſtro, deinde in dextro Thalamo facta, ſanguis ex utroque cavo, rivi inſtar, proſiliret.

Erat porro hic canis terete Verme multo plenus, copioſaque Tenia. Sedes Teniæ incipiebat ſpithamæ longitudine a valvula coli, ſurſumque aſcendendo trium ſpithamarum longitudinem in Ileo emetiebatur; ultra non, ſed quidem Teretes, quemadmodum & in ventriculo; incertum, num domicilium antiquum hic habuiſſent; an vero, aqua ſubtus premente eo verſus pulſi eſſent.

In hac nunc trium Spithamarum longitudine, morabatur faſciculus multarum teniarum, hic decem, alibi undecim, duodecim, in longitudine

positarum, quas gluten haud tenax valde involvebat. Fuere, quæ hanc longitudinem integram emetirentur, emetitæque reflecterentur; fuere, quæ mediam, quæ tertiam. Id vero num ideo, quod nonnullas fregissemus eximendo? vix credibile; attentius enim examinatæ breviores hæ, æque quam longiores illæ, componebantur primum ex latioribus mutuo articulatis, & subito tenuioribus admodum portionibus, itidem mutuo articulatis. Latarum autem & tenuium portionum eadem longitudo fuit.

Vermium seu articulationum, vacua apparebant corpora esse. Siphone dicto *Anelliano*, quo in fistula lachrimali deobstruenda utimur, lac in unam pertusam injecimus, quæ inde repleri quidem videbatur, at vero in alteram, nisi semel iterumve, non transmisit. Pellicula externa frangebatur

passim,

paſſim, antequam in ſubſequentem articulationem lac poſſet ſe penetrare. Nec inflato aëre plus profecimus. Argenteo vero ſtylo omnium ſubtiliſſimo citra minimam læſionem penetravimus ex una in aliam; ita ut ad brevem hunc ſtylum ſex ſeptem varias articulationes, citra ullam læſionem, penetrando affigeremus.

Nunquid ſic intelligitur demonſtratus a magno *Winslowo* canalis, qui injectione facta in alteram ex altera penetrabat portione? An igitur, in cane ſaltem, tenia inſectum unicum; non vero vermis ex numeroſis cucurbitinis, ut ajunt, vermibus coagmentatus?



CAPUT VI.

VARIA.

§. I. *Febris continuæ remittentis*, Συνέχεος, *hoc anno in* Auſtria *graſſantis*, *genius*, & *natura*. *Autores qui in hoc febrium genere cognoſcendo*, *curandoque*, *ſe ſe omnium maxime commendaverunt*. §. II. *Virtus fomentorum aquoſorum*, *eorundemque in perpetuo madore & calore conſervatorum*, *in multis externis morbis*. §. III. *Endemii in* Auſtria *morbi ophtalmici*. *Varia ad illos remedia*. *Laus Bilis hepaticæ* Muſtellæ fluviatilis. §. IV. *Cura Viperina*. §. V. *De Rachitide nonnulla*. §. VI. *Arſenici albi*, *copioſe aſſumpti*, *effectus mirifici*; & *quid*, *multis incaſſum tentatis*, *profuerit*. §. VII. *De Uva urſi*.

§. I.

Graſſatæ ſunt in *Auſtria* hoc anno *Febres continuæ remittentes*, veræ hemi-

hemitritææ tales, ut ex una continua, alteraque tertiana, compositæ viderentur; hæ quibusdam in locis benigniores, paucis medicamentis, quin & hic illic, adhibita haud admodum laudabili methodo, tandem cessaruunt, paucis inde morientibus. Pagos autem novi, in quibus dictam malignitatem quandam adjunctam habentes febres istæ, per remedia antiphlogistica communia primum, deinde a 5. vel 6. morbi die per corticem Peruvianum, quotidie ad sex dragmas in substantia, ut Medici ajunt, assumptum, demum ad 14. 17. diem judicabantur, haud infrequenter sudoribus: Sic ut ex sexaginta, & aliquot ægris bini modo perirent, & alii duo, non sine symptomaticis exanthematibus demum ad crisim ducerentur.

Perierunt in urbe ii maxime, quibus damnanda sua methodo Medici exanthemata excitaverant. In

In Nosocomio nostro tres mulieres hac febre decubuerunt. Communem febrium acutarum methodum sequebamur, quamdiu eidem morigeræ erant: cortice vero eas abegimus, quando immorigeræ plane erant, & pravis stipatæ symptomatibus, & eam malignitatem redolentes, qua alibi Petechiæ, & Miliares eruptiones, febrim concomitabantur. Harum feminarum priori, die 14. corticem dare inchoavimus; alteri 12. die; tertiæ vero 6. die; perseverantes in ejus usu ita, ut per dies 14. a curata febre eandem daremus, quam in febre, dosim, tertia demum, & quarta septimana paulatim parciorem. Recidivam harum una die 14. passa est, quod maturius exire Nosocomio vellet. Redeuns vero altera febris recidivæ die in Nosocomium, intra triduum curata fuit, & quatuordecim diebus eandem,

dem, qua olim, ſumſit corticis quantitatem, deinde pedetentim minorem.

Poſcebat autem hæc febris in ſua declinatione, poſtque eandem, purgans ad ſingulos 3. 4. dies; Ventriculo alias corticem, qui toties ſpecificum ventriculo languenti auxilium eſt, plane reſpuente, cum deleto omnino appetitu. Dedimus illis uncias IV. vel V. *Aquæ laxativæ Pharmacopœæ Viennenſis*, quæ nobis purgans longe tutiſſimum, mitiſſimum, citiſſimumque viſa eſt: idque ſummo mane; ea lege, ut poſt alteram alvum, quæ paſſim intra trihorium, citiusve, habetur, corticis ſui conſuetum uſum repeterent; ſub quo purgans adhuc pluries operari ſolet, & reparare appetitum.

Plures tamen vidi in urbe harum febrium prioribus pertinaciores, nunc

alter-

alterno, nunc ſingulo, nunc quarto die ingraveſcentes, idque ſæpe citra vel minimum frigus, cortici neutiquam auſcultantes: ita ut nonnulli ægri ad 20. alii ad 40. diem, & ultra, nihil aliud; quod tamen multum erat; a cortice lucrarentur, quam ut viribus ſuſtinerentur, ut a majore malignitate, quæ, Regimine cooperante, Miliarium in una eruptionem jam inchoaverat, præſervarentur; utque triduo aut quatriduo ante criſin pares coctioni eſſent; ac demum 20. aut etiam multo poſteriore die, hi ſputis, alvo alii, illi per ſudores, urinasque; nonnulli integre, alii partim ac repetitim, judicarentur: idque ea lege, ut ſi poſt coctionem niſus adparerent Naturæ, ad criſin promovendam per laudabilem viam quamcunque, exempli gratia, per pulmonem; loco corticis, modo vires ſufficerent, ea porrigeren-

rentur, quæ ad hunc niſum promovendum efficaciſſima in arte habeantur.

Occaſione trium hac febre laborantium ægrarum, præter generales *Hippocratis*, id eſt Naturæ, leges, centies laudavi, debuique laudare, magnorum virorum, qui in febrium hujus generis curatione cæteris perſpicaciores, felicioresque fuerunt, auro contra cariora opera: *Mortoni*, ajo, *Sydenhami*, & incomparabilis in hac materia *Franciſci Torti* Archiatri *Mutinenſis*, ac Profeſſoris: deinde & illorum, qui priorum exemplis inſtructi, Doctrinaque imbuti, hanc rem illuſtrarunt, *Pringli*, ac *Huxhami*, apud Anglos; *Lauteri* ac Magnifici Viri *Hazenöhrl* apud Auſtriacos, &c. Inde intellexit, demonſtrationibusque convicta ſtudioſa juventus vidit, in febribus Ardentibus, & in omnis generis

He-

Hemitritæis, communi methodo insuperabilibus, frequenter admodum sive præveniri, dum minas intentat; sive tolli, dum jam adest; dictam in Arte malignitatem: dato cum prudenter, tum audacter, antequam nimius fiat Solidorum Fluidorumque a sanitate recessus, cortice Peruviano: & quidem sic, ut si ore assumptus minus expedite opituletur, etiam in anum injiciatur.

§. II. In morbis cutaneis antiquis, ulcerosis, in malignis crurum ulceribus, in ulceribus spinæ ventosæ fædissimis, in tumoribus arthriticis, continuamus, id quod superioribus annis innui, pulcras observare aut emendationes, aut curationes eorum, quos consueta artis auxilia haud levaverant; ope sollicitæ continuæque applicationis aquæ calidæ, sive puræ, sive, ne forsan pauperes eam præ simplicitate nimia

mia negligant, repudientve, medicatæ redditæ, a Malva, Parietaria, Chærophyllo, Althæa, ſem. Lupini. &c. Vetuſtiores, viros in arte graves, hac in parte imitati, qui dum conſuetis unguentis, & emplaſtris, ejuſmodi mala aut difficilius, aut nullatenus, curari cernerent, fomenta aquoſa, reddita ejuſmodi vegetabilibus medicata, vehementer laudarunt; *Dioſcorides*, inquam, *Dodonæos*, *Cluſios*, *Lobelios*, *Sanctorios*, & noviſſimum præclarum Autorem *Morgagni*, qui in Epiſt. 57. §. 3. calcaream podagricorum Materiem ſola aqua calida fuiſſe reſolutam, refert.

§. III. Eſt endemius in *Auſtria* omnis fere generis oculorum morbus. Inflammatio, Pannus, Pterugion, Phlyctæna, Albugo, Cataracta, Amauroſis, ſæpe hi bini morbi ultimi una juncti, Staphyloma, Sarcoſis. Viæ publicæ, quantumvis lapilloſo ſolo

Pars IX. Q duræ

duræ, nec non in urbe ſtrata platearum, conſervari ſuperſtratis ſolent ſilicibus tritis, lapilluliſque, continuo renovatis. Curruum innumerorum rotis hi ita commoliuntur, ut nube tenuiſſimi pollinis circumderis aſſiduo, quacunque perrexeris; eoque magis, quod ſit Regio ventoſior: ut vetus proverbium dicat, *Auſtria aut ventoſa, aut venenoſa.*

Unde præter oculorum morbos frequentia eſſe oportere Aſthmata, Dyſpnœas, Phthiſes pulmonales, facile quisque per ſe perſpicit.

Inter ea auxilia, quæ variis oculorum affectibus opitulari experimur, & miramur, una cum venæ ſectione, & iteratis purgantibus, laudare oportet flores Zinci, quorum dragma unciis quinque aquæ Roſarum vel Euphragiæ admiſta, incipienti, ac repetenti tunicæ conjunctivæ inflammationi, efficax auxilium præſtat. Ne-

Neque hic laude ſua caret aqua puriſſima, cujus unciæ, ſpiritus vini rectificatiſſimi guttas 15. vel 20. additæ fuerunt. Quæ gravior inflammatio ac dolor hiſce minus cito cedunt, potentius remedium capiunt cataplaſmate, quod ex pulpæ Pomorum acido dulcium, ac Micæ panis albi ana unc. ij. florum Roſar. rubr. ac Sambuci á pugill. j. Croci ac Camphoræ ana gr. vj. componi ſolet. Vix vero hæc omnia graviores inflammationes tollunt, niſi ſimul purgatio antiphlogiſtica ſæpius repetita, potenter revellat; quo cummaxime etiam facit aut in Nucha veſicans, aut Emplaſtrum poſt aures, quod ex Empl. Veſicat. & Melil. á q. ſ. compoſitum ſit. Quaſdam tamen inflammationes ita ad omnia pertinaces offendimus, ut viſus minentur jacturam; quibus una cum remediorum dictorum pleriſque, ſetaceum Nuchæ reperimus utiliſſimum.

Ad maculas vero, ad perlas, ad pannos, ad pterugia, ad Adnatæ albugines, nihil efficacius experimur Bile animalium, ac præprimis Bile hepatica *Mustellæ fluviatilis* vel *lacustris*, etiam *Motellæ* dictæ, & *Lotæ*, (*Rutte*, *Aal-Rutte* germ.,) quam apud *Rondeletium* libro de *piscibus lacustribus* cap. 19. quæras. Antiquum remedium, *Hartmanno* aliisque laudatum, oblivioni deinde fere datum, nunc iterum ad experimenta revocavi, effectusque gavisus sum, postquam nitidos Juvenis oculos conspexissem, quos a variolis maculatos hoc oleo integre curasset Matrona Mater. Cum *Danubius* hos pisces alat numerosos, iique sapidum suum jecur sæpe magnum ita habeant, ut non modica bilis hepaticæ copia inde colligi possit, dum in vitro suspensum, solisque expositum calori, levi compressione nonnunquam juvetur; curavi

ravi mihi hanc bilem perpetuo præſto eſſe. Bis, ter, die, guttula una, alterave, oculo ſincera inſtillatur, ſupra maculam, aut albuginem. Plures profecto brevi fuerunt ab his malis curati.

An ſpecifica ad has ærumnas *Muſtellæ fluviatilis* Bilis? vix crediderim. Senioris *Tobiæ* Albugines bile majoris piſcis, in *Tygride* fluvio capti, curabat Angelus *Raphaël*, juxta id, quod ipſius filio dixerat, *Tob. cap.* 6. & 11. *Fel ejus valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit Albugo, & ſanabuntur.* Unde ſuſpicor, ſi, quibus in locis Muſtella fluviatilis deſideratur, capi experimentum lubeat jecoraria bile *Anguillæ, Lucii piſcis, Aſelli majoris* ac *minoris*, &c. forſitan quoque haud inutile fore. Dolorem levem ac brevem quidam ab admoto hoc remedio experiuntur, alii diuturniorem gravioremque: illis nihil

hil; his autem, poſt horæ quadrantem oculum aqua Roſarum eluere expedit.

§. IV. Ut ceteræ res ſublunares, ita Medicamenta multa, mutationes temporum ſubire ſolent. Patuit id mox in bile *Muſtellæ fluviatilis*. *Vipera* ſæpius in cælum elata olim, in morbis cutaneis pertinaciſſimis, nec non in ſumma dibilitate curandis, dein hic viluit, ibi oblivioni penitus tradita fuit, iterumque poſtliminio ſummis laudibus decorata. Cum eximii Viri *Mead*, & *Morgagni*, Viperæ decocta, gelataque, ob pulcras, quas ipſi cum vidiſſent, tum patraſſent, curationes, impenſe laudarent; *Viennenſiumque* Medicorum cumplures egregias ſuas per eadem curas celebrarent; experimenta capere hac æſtate cepi. Puellæ decenni herpete ulceroſa circum os & nares, deinde tuſſi pertinaciſſima à longo

go tempore laboranti, nec confuetis a me datis remediis curatæ, jufculum dedi, paratum ex aqua cocta cum quarta viperæ vivæ parte; fic ut quotidie idem, quod fex unciarum erat, unica vice, jejuno affumeret ventriculo. Menfis fic elapfo fpatio, læti vidimus eam tuffi fua integre curatam, herpete pene liberam. Juvenculæ fcabiofæ quæ quopiam unguento fuam fibi fcabiem infeliciter curaverat, atque inde in tuffim fere intolerabilem, fummamque maciem inciderat, dedi quotidie libram juris cum media vipera viva decocti: poft menfem tuffi omnino vacantem, fcabie ipfi non nihil redeunte, vidi. Si quis maluerit redeunti fcabiei tuffis adfcribere ablationem, cui adfcribet ejufdem curam in Puella, in qua & cutaneus morbus, & tuffis violenta, una curabantur? Præterquam quod in juvencula fcabies pauc-

ca rediiſſet, cum integra cura tuſſis. Experimenta promoturus intellexi viperas deficere; defecturas in æſtatem. Dante DEO, multiplicabo tunc experimenta ſic, ut quid agat hoc Medicamen, quousque agat, quidque demum ſit de ejusdem laudibus admittendum, cum intelligam, tum patefaciam.

§. V. In Rachitide, alio demum *Auſtriæ* endemico morbo, ſatis nequeo *Oſtracodermata* laudare: ſi enim bis, ter, die, pulveris hujus ſcrupulus quotidie detur, infanteſque ſole aprico, aëre rurali, motu in infantili curru crebrerrimo ac quotidiano, lecto & conclavi ſiccis, ſanisque fruuntur alimentis, propemodum omnes cito; qui vero horum adminiculorum plerisque carent, ſolo hoc pulvere, motuque, tardius quidem prioribus, tuto tamen, & certo, curantur; quam diu

de

degeneratio universæ compagis curam necdum reddiderit quocunque noto hucusque remedio impoſſibilem.

§. VI. Arſenici albi terribiles recenſere juvat effectus. Hortulani in proximo pago *Penſink* uxor, nunquam adhuc gravida, ſaniſſima tamen, ac toroſa mulier, menſe julio anni 1763. emerat pro ægrotante quopiam puero, pulveres duos *Cremoris tartari*, & *Lapidum cancrorum*, eorumque uno puero dato, alterum in menſa repoſuerat. Ipſa vero a prandio minus recte ſe habens, ſumpſit, ut putabat, hunc alterum pulverem.

Notandum eſt feminam hanc, antequam pulverem ſumeret, præ enormi ſiti immaniter gelidam bibiſſe; prætereaque pulverem una cum ingenti aquæ copia aſſumpſiſſe: ita ut copioſo cum veneno, antitodum quoque ſumpſerit copioſum.

Cum valida ventris tormina pati inciperet, petiit lectum, nauſeavit, elapſa autem ſemi hora vomuit. Interea temporis redux domum maritus, videt uxorem vehementer vomentem, & anxiam eſſe. Igitur percunctari ille quid geſtum, quidve aſſumptum ſit? Dum vero inaudit pulverem hunc, quem in menſa mane ſe repoſuiſſe uxor ajebat, aſſumptum ab illa eſſe, mox territus hic ad menſam accurrere, & miſerando ejulatu vociferari, pharmacopæi pulverem in menſa reperiri, ejus vero loco aſſumptum pulverem *Arſenici albi*, quem ad mures necandos emtum, eadem in menſa incogitanter repoſuerat. Vocatus actutum Medicus, oleo & lacte corpus laudabiliter implevit; unde vomitus, qui per multas horas plus centies erupiſſet, paulatim ceſſavit.

Porro

Porro mirabatur femina quod, vomitu cessante, se tam belle haberet, quemadmodum etiam die altero tertioque. Quarto vero die pedes invasit, qui dicitur *crampus*, crassaque plantarum pedum epidermis tota secessit. Qua dein recrescente, incedere, præ summa ejusdem teneritudine, dudum non potuit. Jussa est *Badensia* Balnea Sulphurea adire, mensisque hisce uti spatio. Catamenia substitere in balneo. Multaque ibidem Medicamenta sumsit. A Balneo crurum ipsi sensim impeditior motus, sic ut primum ingenti cum labore, tardissimeque, passus quosdam ederet, ab ineunte vero Septembri cruribus movendis ultra non esset; manuumque, ac brachiorum fere omnem motum amitteret; humeris solis, ac femoribus nonnihil adhuc obsequiosis. Jamque universo de corpore, caput si excepe-

ceperis, Epidermis ſeceſſit. Poſtmodum autem motus exiguus muſculis manuum rediit, ut ſiniſtra leve quid, chartam v. c. tenere, dextrâ digitos nonnihil, ſed obſcure, ut vix advertiſſes, movere poſſet. Binis vero hominibus ſuffulta, crura ne hilum quidem movere potuit. Quodque in paralyticis nonnunquam adverteramus, ut jacentes artuum inferiorum ſuperiorumque motum quemdam, qui ſedentibus iſtis impoſſibilis, ederent; hæc ne vel minimum quidem. Attraxit utcunque crus, & brachium, levi illo motu, quem dixi humeris femoribusque ſuperſtitem fuiſſe, haud vero movit. Intolerabilis acceſſit crurum, pedumque, pruritus, qui in aliis boni ſæpe augurii, in hac vero minime. Interea pulſus, appetitus, ſomnus, alvus, urina, bona; quique in balneo ſubſtiterant rediere menſes.

ſes. Multis, iisque præſtantiſſimis remediis incaſſum uſa, inducta demum in Noſocomium noſtrum eſt, ineunte Novembri anni 1763.

Datis, ut monui, incaſſum ſele-ctiſſimis remediis, animum mihi ſubiit vires explorare, cum aliis vul, nerariis, *Braſſicæ*, cui *Otto Tackenius*, vapore *Arſenici* captus, curationem ſuam magnam partem adſcripſit, poſtquam lacte & oleo a præſenti periculo vindicatus primum eſſet; in *Hipp. Chem. Cap.* 24. Sumpſit itaque femina bimeſtri ſpatio hoc decoctum: Rp. Tarax. rec. cum toto unc. ß. Braſſicæ rubræ Lib. i. Pulv. Saſſap. unc. ij. Glycyrrhi. unc. iij. coq. aq. p. per horam. Colat. Mens. i. ß. D. u.

Cardialgia ex acore manifeſto vexata aliquoties fuit, ſed mox reſtituta uſu miſturæ, paratæ ex aqua ſambuci, ſyr. diacod. & lap. cancr. Semel au-

tem

tem febris, cardialgiam concomitans, remedio huic haud obedivit amplius, ſed cephalalgiam adjunxit, & tantillum illud, quod ſupererat, motus, proſtravit. Cogebamur tunc cortice peruviano eandem fugare; haud multo tamen; cum paucos intra dies febris, ſuis cum ſymptomatibus, fuſa, fugataque eſſet.

Spatio bimeſtri hac methodo Paralyſin, ac Pruritum, Doloremque nihil emendavimus. Unde robur nervis cortice peruviano conciliare annitebamur, interea dum crura manusque nunc aqua vulneraria, nunc pulveris aromatici fumo, bis die fricarentur. Vis dein electrina, quotidie ſemel adhibita, levem quidem emendationem fecit, ut crura utcunque plus attrahere, ac digitorum manus ſpectabiliorem, pedisque dextri obſcurum, qui nullus fuerat, motum edere poſſet;

at

at vero tandem corpore ad lecti crepidinem ſuffulto, crura, ac pedes immiſimus in Balneum, usque ſupra genua, aquæ calidæ, cui flores chamomillæ, flores ſambuci ac lavendulæ intabuerant: dum interea corpus repleretur decocto Tarax. Naſturt. Sarſap. Glycyrrh. Effectum hinc, ut decurſo menſis horum in uſu ſpatio, gradi inciperet, cum iisdem deinceps pergendo ambularet, digitos nendo exerceret, ac tandem menſe Junio domum, quo aëre ruſticano frueretur, peteret, & ſæpius inde ad me pedes venerit; ob reliquias mali ejusdem remedii novam formulam petitura.

Quæri a me poſſet citiusne curata hæc femina fuiſſet, quando, vel antequam meæ curæ ſubjiceretur, vel ſaltem cum eidem ſubjecta eſſet, ultima meæ methodi parte tractata fuiſſet: indicante nimirum pruritu illo dolori-

fico

ſico acredinem, aut veneni reſiduam, aut veneno genitam, ante oſtia cutanea morantem, ſuique per eadem expulſionem flagitantem? Ægre ſane quæſtionem hanc non fero. Jnnui Braſſicæ vires, *Tachenio* autore, me explorare voluiſſe, vireſque deinde electricas. His ſcopo non reſpondentibus indicationem, de qua quæſtio agit, ſecutus ſum; in ſimili poſtmodum offerendo mihi caſu ab ultima indicatione incepturus curam, quo conſtare poſſet num & citra auxilia diluentia, ſaponacea, ac ſolventia, aut venenum aut veneno genita materies, æque feliciter expelli poſſet. Interim haud diſplicuiſſe lectoribus opinor, hanc integram communicando hiſtoriam, qua non curam duntaxat, ſed una contueantur mirabundos *Arſenici albi* effectus. Quod ipſum copia enormi, ſcrupuli certe pondere graviore, aſſumtum, primum

qui-

quidem abundantiſſima, quam tam mox ante, quam una cum illo ſumſerat, aqua; deinde vero ſaluberrimo conſilio medici præſtantis oleo & lacte, ſic viribus inerme redditum eſt, ut neque necaverit feminam, neque hoſpitatum diu in primis viis fuerit, ſed his cæteriſque relictis extremorum artuum Paralyſin, Epidermidis univerſæ seceſſum, perpetuumque cutis Pruritum, dolentemque eundem, generaverit.

§. VII. Calculoſorum pauciores hoc anno affuerunt, quam ut experimenta cum *Uva urſi* augere multum potuerim. Interim ex quo hanc Plantam ab *Illuſtriſſimo Præſide* utilem in hoc terrifico morbo didiceram; multisque experimentis, ut talem, probaveram: magis confirmor, magisque in eo, quod in hoc *Opere* toties monui, nullarum eam virium eſſe, ubi in ſyſtema-

ſtemate urinoſo interno multa facta fuerit, ſive a calculo, ſive a pure, ſive ab urina, ſæpius diutiusque retenta, Degeneratio. Qui in poſteriore caſu experimenta irrita expertus, ideo de veritate eorundem priore in caſu dubitat, poterit ab ipſis, quos Uva urſi, jam pluribus ab annis a ſuis ærumnis ſartos, tectosque ſervat, rerum edoceri veritatem. Adſunt enim & in hac urbe, & alibi plures; vivumque exemplum poteſt conſpici quotidie in *Panholzero*, janitore aulico. Quod ſi quis arbitretur conſimili, majorive virtute, *Vaccinium foliis Buxi* pollere; rem experimentis tentando, legitimeque probando, & Medicos cunctos, & Genus humanum univerſum, ſibi reddet devinctiſſimos. Ceterum exiſtimo me, adeo in ſpecificis, quæ necdum probaverit uſus, admittendis difficilem, adeo in propriis erroribus caſtigandis

faci-

facilem, id fidei apud candidiores mereri, ut non, nisi probata experimenta, protulerim quondam.

CAPUT VII.

NONNULLA DE INSITIONE VARIOLARUM.

§. I. *Duplicis erroris, in mea ad Ill.* Tralles *Responsione, correctio.* §. II. *Variolarum naturalium, hominem secundo, & letaliter quidem, invadentium exemplum.* §. III. *Tria exempla secundarum variolarum, quorum in primo secundæ prioribus mitiores; in altero, ac tertio, contra.* §. IV. *Epitome novi operis Ill.* Tralles, *quo ad meas decem quæstiones, ipsi propositas, respondet: eaque occasione Medici testimonium refertur, qui hoc anno ex quatuor inoculatis unum morte amisit; ex duo-*

duodecim qui naturalibus variolis laborarunt, neminem: quamvis inter hos posteriores essent, quos ab insitione arcendos esse statuisset.

§. I.

Grave argumentum, quod sententiam meam de Inoculatione variolarum roboret, denuo nactus, & de uno alteroque errore, quem in Responso ad *Cl. Tralles* nuperrime commiserim, convictus, nonnihil hanc quæstionem refricem necesse est.

Scripseram in Responsi hujus *Appendice*, Filium natu majorem Excell. Comitis, quem naturales variolæ invasissent, periisse. Non periit, sed evasit: dolore tanto sæviore animos utriusque nobiliss. Parentis percellente, quod naturalibus variolis filium natu majorem servaverint, artificialibus amiserint minorem.

Scripseram *Florentiæ* factam inoculationem fuisse Nobilis cujusdam legati

gati filio: non filio, ſed natu majori filiæ facta eſt: quæ ipſa biennio poſt cum fratre ac ſorore, inoculatas variolas patientibus, intrepide converſata, variolas naturales hoc iterum contagio ſibi contraxit. Scripſeram, ſic enim edoctus eram, puellæ natu majoris artificioſas variolas tales fuiſſe, ut de earundem cum numero, tum genio, qui operationi præeſſent Medici, contenti eſſent. Hæc cum paulo aliter ſe habere deprehendo, hiſtoriam ex ipſis Patris litteris, ac Medicorum Puellæ teſtimoniis, integram dabo.

Doctiſſ. Medicus *Collinius* qui nobili puellæ in variolis tam arte, quam natura, genitis ſemper adfuit; & doctiſſ. *Durazzinius*, qui cum priore puellam in variolis naturalibus curavit, hoc caſus utriusque teſtimonium perhibuerunt.

„ *Iſabella* ex feminis natu major,
„ ætatis ſuæ anno quinto, gracili ac

 „ ſani

„ ſani corporis habitu prædita, prima
„ fuit, quæ vere 1761. præmiſſo con-
„ ſueto purgationis regimine, artifi-
„ ciale contagium per vulnuſcula cuti
„ femorum inflicta, intrepide ſuſtu-
„ lit. Sexto ab inſitione die calor, &
„ pulſus celeritas ægram invaſit, &
„ papulæ circa vulnera eruperunt,
„ maculis mixtæ ſubrubris, parum,
„ aut nihil elatis; & decimo tertio
„ exiles puſtulæ ſparſim ſe protule-
„ runt, quæ tribus diebus maturatio-
„ nis & exareſcentiæ ſtadia percurre-
„ runt. Conſpicuam male olentis
„ puris vim ab inciſionibus, uſque ad
„ earundem cicatricem, abundanter
„ ejecit, & quod admodum animad-
„ verſione dignum, urinas albo copio-
„ ſo ſedimento per totum ferme cu-
„ rationis decurſum, qui quadragin-
„ ta, & ultra diebus ſe ſe extendit,
„ onuſtas reddidit. Id genus fuere

„ mor-

„ morbosæ perturbationis signa, quam
„ corpori generosæ puellæ excitavit
„ variolosi aliquantulum puris, a *Cl.*
„ *Paulo* Medico *Lucensi*, transmissi; id
„ ipsum, quod aliquot indubiis vario-
„ lis *Lucæ* occasionem præbuit.

„ Fide *doctissimorum hominum* freti
„ Parentes *Isabellæ*, & fratribus, qui
„ vere, anni 1763. variolis discretis,
„ eodem artificio excitatis, lecto de-
„ cumbebant, liberum concesserunt
„ commercium. Sed XVI. Kal. Quint.
„ dum illi convalescebant, inopinato
„ febris illam adoritur, symptomati-
„ bus stipata, quæ variolas distinctas
„ regulariter comitantur: & quarto
„ ab invasione die, pustulæ per uni-
„ versum corpus, valde copiosæ, pro-
„ ruperunt, nullum dubitationi lo-
„ cum relinquentes morbi illiusmodi
„ ad veras variolas referendum esse,
„ ubi naturalis earundum decursus

„ omnino demonſtravit, qui ſine ul-
„ la nedum faciei deformitate felici-
„ ter ceſſit.

Quod in teſtimonio dicitur, fide *doctiſſimorum hominum freti parentes*, nonnulla explicatione eget. Doctiſſ. vir *Collinius*, quem inoculationi præfuiſſe memini, dubium Parentibus generoſis moverat, num vere haberet puella ab inſitione variolas? Quamobrem hi virum Doctiſſimum, erudita, atque utiliſſima opera clarum, *Targionium Tozzetum*, qui inſitioni quoque adſtiterat, nunc denuo ad decimum & quartum ab inſitione diem advocarent, utpote in Inoculationis negotio expertiſſimum, celebratiſſimumque. Hic omnibus bene examinatis judicavit pro tenera, ac delicatula puellæ natura, ſat variolarum excitatum fuiſſe; præſertim ubi puſtulas duas in labio inferiore, inque poplite aliam, vidiſſet,

quæ

quæ variolarum erumpentium naturam optime referrent.

Alter *horum doctiſſimorum virorum* fuit in re oculatoria famoſus ſcriptor *Condaminius*, ad quem generoſus parens detulerat caſum. Repondit ille „ Nullam parentis animum ſubire in„ quietudinem oportere; ſiquidem „ homines omni variolarum unquam „ acquirendarum periculo ſe ſe per „ inoculationem liberarent; materia „ varioloſa funditus evacuante ſe in„ ciſionum factarum ulceribus. Recte quidem, ſecundum ſua principia, clarus *Condaminius*: vel enim veræ variolæ prodierunt, vel non: ſi cum optimo *Targionio* ſtatueret veras fuiſſe, expectare ſecundas ille non potuit; ſin minus, evacuatione ulceroſa ſex ſeptem ſeptimanarum, urinisque albo ſedimine fætis, tam nativum, quam inſitum virus varioloſum, omnino expulſum fuiſſe credere debuit.

§. II.

§. II. Atque hæc de correctione ejus, qui in utraque hac historia referenda a me commissus fuerat, erroris, sufficiant; accepta vel ideo futura lectoribus, quod utramque historiam, potissimumque posteriorem, multum elucident. Verum Publico debeo secundarum variolarum authenticam historiam mecum communicatam, Juvenis Academici, quem in prioribus variolis vidit, tractavit, vir Clarissimus *Petrus Emmanuel Hartmann*, dignissimus Medicinæ in Universitate, quæ *Francofurti ad Viadram* fulget, Professor. Contigerat hic casus ipsi, dum adhuc in *Helmstadiensi* Academia esset; in qua is, de quo agitur, Juvenis tunc Musas colebat. Sic ergo ille ad amicum scripsit. „ Anno 1761. die 20.
„ Maji, versus vesperam accessi ad Ju-
„ ris studiosum D. *Voelger*, Frisonem,
„ 20. circiter annos natum, habitu

„ cor-

„ corporis mollioris, ſanguineique:
„ quem circa quartam a meridie ho-
„ ram a febre continua correptum de-
„ prehendi. Nox ſubſecuta maxime
„ inquieta; urina cruda. Altero die
„ matutinis horis paulo remiſſior erat
„ febris; poſt meridiem vero anxieta-
„ tes præcordiorum moleſtiſſimæ ac-
„ cedebant. Verſus veſperam denuo
„ febris increſcebat; nox inquietiſſi-
„ ma; urina adhuc cruda; cum con-
„ tinuis præcordiorum anguſtiis. Ter-
„ tio die mane Hæmorrhagia narium
„ ſatis copioſa ſupervenit. Inter hæc
„ ſenſim facies, præſertim circa ocu-
„ los, inſigniter intumuit, & verſus
„ veſperam maculæ paulo elevatæ, ru-
„ bicundæ, ſatis copioſæ in facie, &
„ paſſim, licet rarius, in univerſo re-
„ liquo etiam corpore, in conſpectum
„ prodierunt. Per noctem omnes hæ
„ maculæ in veſiculas abierant lenti-

„ for-

„ formes, & ſatis elevatas, circulo-
„ que rubicundo circumdatas. Re-
„ miſerunt ita anguſtiæ præcordiales,
„ & febris; ægrotusque quarto, quin-
„ to, ſextoque die, ſatis bene ſe ha-
„ buit. Sexto die, veſpere, nova
„ acceſſit febris ſatis gravis, & pu-
„ ſtulæ laudabile pus contraxerunt,
„ diſtinctæque ubique, ſi confluxum
„ earum in dextro brachio prope axil-
„ lam, & in ſiniſtra gena, exceperim.
„ Tum ab hoc die nihil ſingularis phæ-
„ nomeni accidit, ſed reliquus ha-
„ rum variolarum decurſus cum aliis
„ benignis variolis perfecte convenit.
„ Eo vero loco, in quo utroque con-
„ fluxus variolarum fuerat, ſatis ma-
„ nifeſtæ cicatrices ſuperfuerunt.

Studioſus hic deinde *Helmſtadio Francofurtum ad Viadram* appulit, ibidemque haud ita pridem variolas iterato contraxit, quibus decumbentem

vidit,

vidit, & tractavit Exp. & Doctiss. vir *Eberti*, Physicus *Francofurtensis*, easque variolas ita malignas doluit, ut nulla arte Juvenem a morte præservare potuerit. Expecto propediem hujus descriptam a claro hoc Physico historiam.

§. III. Magnificus Vir, *Tergestinus* quondam Medicus, nunc Regii Archiducis *Leopoldi* Archiatrorum alter, *Carolus Krapf*, ostendens mihi pulcra sua Morborum Diaria, simul monstrabat mihi Filiæ suæ, binorumque Filiorum, Variolarum Diarium, cujus en compendium!

Anno 1764. Filia ejus, sexennis, cepit 5. Febr. febricitare, & die febr. 8. variolas habere. Crescebant hæ sensim; & ad diem 12. mensis, qui septimus morbi erat, pure bene turgebant, basi rubra pulcre ornata. Septimo eo morbi die a pustulis magis

puel-

puella doluit. In maximis puſtulis apex depreſſior erat, cum puncto livido, nigrove, in ſui medio. Die 8. morbi a maturis jam puſtulis dolor intenſior.

Egregius Pater hoc die, ut & morbi decimo, majores puſtulas ita evacuavit, ut nil ultra puris viderentur habere; vidit nihilominus easdem brevi poſt pure æque plenas.

Decidua puſtula, locus aſper & elevatus erat, ſquammulam deinde dimittens: ſquammulæ ſucceſſit rubra macula, quæ non niſi, inſequente menſe Majo, evanuit.

Cum eadem hac Filia, Filii ejus bini, *Xaverius*, ac *Leopoldus*, variolis laborarunt. *Xaverio* eruptio cum continuo tremore contigerat.

Die 28. Maji, mane, cepit febricitare filia, & tandem die 1. Junii veſpere variolas habere paucas quidem, at vero ſenſim plures ad usque quin-

tum

tum cum eruptionis, cum menſis diem. Ordine ſibi ſubſequente quoque hæ maturuerunt, & aruerunt, rubra latiore baſi pulcre coloratæ. Prima vice tamen numero ſextuplo plures affuerant. Junii 8. die in facie, quæ habebat numero circiter triginta puſtulas, ſiccescere ceperunt. Et ut quondam, ita & nunc, deciduis cruſtis locus aſper & elevatus ſquammam, ac rubram maculam habuit. Unica modo foveam fronti impreſſam reliquit.

Filius *Xaverius* ad 14. Junii febricitans. triduo poſt Variolas accepit, iisdemque copioſioribus, & graviore cum ægritudine, quam hyeme, hinc inde cohærentibus, laboravit. Circa 22. Junii, qui octavus morbi, Suppuratio inchoat, & ordine ſolito dein turgeſcentia, flavedo, exſiccatio, lapſus.

Leo-

Leopoldus autem propeidem tempus alteras variolas paſſus eſt. Priores ſuas ſimiles habuerat iis ſororis; has vero alteras longe copioſiores. Plures ſimiles hiſtorias, ac præſertim unam binorum cum ſua Sorore fratrum, quos omnes utroque in morbo viderat curaveratque *Diemerbroeckius*, attuli, in gallica mea *Inoculationis Refutatione.*

§. IV. Confirmant hæc omnia quæ toties in variis de hac materie diſſertationibus, & recens adhuc in Epiſtola ad Cl. *Tralles*, Inoculationis Patronis objeci: Scilicet 1mo vanam eam eſſe ſecuritatem, qua ſopire eorum inquietudines ſatagant, quibus Inſitio aut nullas conciliaverit, aut perpaucas variolas. 2do Nihil calamitoſius poſſe accidere parentibus, quam Naturali via ſervatam ſibi prolem videre, Artificiali occiſam. 3^tio^ Et poſt inſitas variolas, & poſt ſpontaneas, homi-

nes

nes iisdem impeti ſecundo contagione naturalium; ut profecto hi, qui naturales variolas paſſi, ſe ſe dederint inoculandos, alioſve, qui rite naturalibus perfuncti eſſent, inoculaverint, cum Divina Providentia, ut ita dicam, luſerint; potuiſſet enim, quod aliis, idem, aut ſibi, aut illis, contingere. 4to Quotquod inſitionem ſubierint, hos æque parum ſecuritatis habere, quam ii, quos adortæ ſint naturales variolæ, ne, ut *Florentina* Puella, utque Juvencula *Conſtantinopolitana*, *Coconam Timoni*, & ut demum alii, quorum memini in Reſp. ad Cl. *Tralles*, ne, inquam, converſantes cum varioloſis, eaſdem denuo ſibi contagio contrahant. 5to etiam id, quod nonnulli aſſeruerint, qui frequentia experimentorum convicti, & tamen Inoculationi dediti ſunt, eſſe nempe alteras variolas benigniores prioribus;

a veritate alienum esse: siquidem & *Florentina* puella, puerique *Tergestini*, multo copiosiores suas posteriores variolas, quam priores, habuerint; & Juvenis *Francofurtensis*, & Juvencula *Constantinopolitana*, aliique complures, nos convicerint, de secundarum variolarum tam malignitate, quam letalitate.

Interim dum præsentis disceptationis naturam intueor, video adeo iniquam ejusdem sortem esse, ut quidquid adversus inoculandi praxim opponitur, vix admittatur, audiaturve; ipsaque tandem forsitan spectabilissimo exemplo ubique obtineat Principatum. Fortunatam eam cunctis Mortalibus apprecor; si felix faustaque ipsis contingat, gratulaturus; sin minus, eodem quo ipsi, moerore afficiundus. Nihilominus pergam, quo cepi, pede; ad convitia tranquillus,

ad

ad nova obſervata communicanda, placeantne, an diſpliceant, ſemper promptus. Et quamvis non is ſum, qui hominibus propoſiti tenacioribus mutare ſententiam me poſſe credam, meas egiſſe me partes arbitrabor, ſi quæ vera, quæ demonſtrata habeo, candidus communicem; quo ſaltem ii, qui animæquiores inter utramque fluctuant partem, inanem plane haud eſſe intelligant, quam adverſus Inoculationem incuſſerim, formidinem. Quod enim in *Difficultatibus meis ſuper Inoculatione* dixi, id audacter hic repeto; non poſſe admitti illam, niſi poſito hoc principio, quod in Plurimorum ſalutem de vita Pauciorum diſponere pro lubitu liceat: quod quidem Dei, vitæ mortisque Arbitri, non modo permiſſu, ſed etiam juſſu, in juſto bello, in facinoroſis puniendis, &c. licuit mortalibus; neutiquam vero in

Inoculationis negotio, in quibus ejusmodi jussum, aut permissio divina non extat, probari hoc titulo possit. Profecto si semel ad ea omnia, quæ ad Reipublicæ qualemcumque majorem utilitatem conferre putantur, hoc principium absque Dei Jussu, aut permissu expresso, adhiberetur, quod inde horrenda non consequerentur! Pestiferos demum comburerent, ne virus in cæteros propagaretur: duobus enim tribusve, qui primi affecti essent, necatis, centum millia servarentur forte. Et ad quæ non ultra! sed potius manum de tabula.

Et ut tandem quod res est dicam; quantumcumque Praxis ista prævaleat, suprema etiam autoritate sufful-ta, ac condecorata, non efficiet unquam id, ut variolæ sive naturales, sive artificiales fuerint, eundem hominem non bis feriant: non efficiet,

ut

ut ab insitivis haud ultra quis trucidetur: ut præsenti mortis discrimini se se non committant inoculandi: ut multi inde male non mulctentur: ut paucus non sit eorum numerus, qui eadem de causa, aut sanitatis, aut venustatis jacturam, acerbe non lugeant. Quæ enim observata olim, eadem & observabuntur posthac; eoque frequentius, quo magis insitio percrebrescat. Veniet, veniet dies, cum nimiam in eandem propensionem, ingens animi moeror, integrarumque familiarum luctus a tergo sequatur inconsolabilis: dies, inquam, quo præsens quæstio de integro commoveat, agitetque Mortalium mentes, iteratumque, ast priore cum maturius, tum sedatius, poscat examen. Sed his Altiori Providentiæ relictis, quæ res humanas, pro infinita sua, & adoranda sapientia, sic moderatur, ut

 ni-

nihil in ejus gloriam non cedat, mihi monuiſſe ſufficiet, donec proſtabunt exempla, quæ nedum ſuſpectam hanc Praxin reddant, ſed & hos qui eam exercent, Homicidii; qui eandem in ſe admittunt, Suicidii; reos agant.

* *   *   * *
*   * *   *

Finis hic erat hujus Tomi, & ſub prælo jam ille ſudabat, cum Vir illuſtris, BALTHASAR TRALLES, ad me mitteret ſuam Reſponſionem ad Decem meas de Inoculatione Quæſtiones. Æquum foret ut, qui Replicam dediſſem, jam Duplicam darem; ſed votum obſtat Cl. viri pag. 303. ſerio deprecantis huic controverſiæ ultra immiſceri. Ipſi igitur obtemperabo. Cum tamen publici interſit ea noſſe, quæ præclaro hoc opere habentur, convenientiſſime iſta huic capiti annecti poterunt.

Ti-

Titulus operis eſt: *Vexatiſſimum noſtra ætate de Inſitione Variolarum, vel admittenda, vel repudianda, Argumentum, &c.* Eſt diviſum duas in partes, quarum prior, eaque longe maxima, ad præſentem Quæſtionem; altera ad amicam nos inter Litem pertinet. Paginas 304. in majori Octavo habet. Quia lis inter nos peculiaris ad Inoculationis negotium non ſpectat, unice in examinanda priore parte verſabor, alteram in proximam opportunitatem reſervaturus.

Honoratiſſimus Autor meis decem quæſtionibus tres alias præmittit, quas, ut ait, a me, adeoque tredecim, expectaſſet. Prima hæc eſt: *An certo certius quivis homo variolis ſerius, ocyus, afficiatur?* Altera: *An Inoculatio illis affricet variolas, qui ſine ea ipſas haud paſſi fuiſſent?* Tertia: *An cum pure variolarum inſititiô, & cum ejus vehiculo, immitti in*

corpus queat fomes morbosus alius, contagiosus?

Primam hanc quæſtionem non propoſui, utpote ad quam in prioribus operibus fuſe reſpondiſſem; & quæ nova adderem, in præſentiarum non haberem. Secundam ex eruditiſſimo *Condaminio* abunde probare potuiſſem, ſed cum plures Inoculationis Defenſores hic cum illo non ſentiant, eam non propoſui; ſat alioquin materiæ ad cauſam meam tuendam nactus. Tertia problematica eſt, probabilior utique quam demonſtrabilior, adeoque litem minus utiliter extendens. Hinc claro Autori tres ſuas prodromas quæſtiones relinquens, non niſi erga illius ad meas decem reſponſa verſabor.

Quæſtiones porro meas omnes ſic expendit vir doctiſſimus, ut clara primum in luce collocet omnem Inocu-

lato-

latorum doctrinam: dein meam ipsis sententiam opponit, sententiamque illorum, quos mecum sentire deprehendit. Id autem sic facit, ut, utrum illis, vel mihi, faveat, dubites; sæpe perspicue cernas; ac potissimum quidem illis. Haud sic tamen, ut quanam a parte ipse stare malit, evidenter capias: donec demum absolutis Quæstionibus mentem suam, a pag. 208. ad 230. dilucide exponat, eamque adeo quidem in re inoculatoria retardatam, atque suspensam, ut, quam apud animum statuisset dilectæ filiæ insitionem, procrastinaturus sit; quemadmodum etiam alii, qui cara sua pignora *Trallesio* inoculanda commisissent, dilaturi hoc negotium essent. Forte ad hujus propositi prorogationem & illum, & hos, magis determinavit Epistola Clarissimi *Ludwigii*, Decani Fac. Med. Lipf. ad Cl. *Tralles*, in qua

hæc verba: „ Hoc anno habui qua-
„ tuor inoculatos, & duodecim ægros
„ naturalibus variolis affectos. Ex
„ prioribus unum amisi; Ex poste-
„ rioribus nullum, licet inter eos es-
„ sent, quos, ob humorum malam
„ constitutionem, ab operatione ar-
„ cendos statueram.

Quandoquidem ergo se ab Inoculistis remotiorem, Antinoculistis proximiorem declaravit, haud erit opus in ea, quæ in singularum quæstionum responsione, hinc inde vero minus consentanea videri forsitan possent, animadvertere. Sufficere enim arbitror, si ambiguus alicubi, si a mea intentione alienus, eum demum ad finem operis omnem sustulisse, aut moderasse difficultatem. Breve itaque erit meum omne hujus tractatus examen, versaturum unice circa ea, quæ dubia in illo manent.

Pri-

Primum proinde advertere cogor virum clarissimum mentem meam assequutum non esse, dum Inoculistarum argumenta de præparandis ad Insitionem corporibus adeo longus, adeo fortis, adversum me urget. Potuerat in Gallica mea *Inoculationis Refutatione* Apologiam dudum vidisse meam: quam si vidisset, non alia profecto mente, quam ipse sit, me esse intellexisset. Præparationis necessitatem atque præstantiam ultro agnovi semper: tantummodo insufficientem eandem sæpe ab ipsis Inoculatoribus deprehensam esse, multis probavi experimentis.

Secundo, nec bene intellexit quid voluerim in sexta mea quæstione, quam me sic proponente: *Nulline ab Insitione moriantur?* Vir doctissimus in hanc mutandam esse censuit: *Paucioresne ab Inoculatione, quam a naturalis morbi incursu mori-*

moriantur? Profecto quæstionem, ut hic ille, sic ego proponere nec debui, nec potui; gnarus apprime quot pueri adultique a Variolis, sine Medico, ægrotent; quot eorum Anicularum concilio perdantur; quot homines continuo pereant, tardius advocato Medico; quot etiam cum Medico, cui morem gerere detrectent; quot denique innumeri, qui Medicis destituti, quam usi, feliciores fuissent. Et, si quondam mortuorum & ab insitivis, & a naturalibus, numerum, pene coæquaverim, id non, nisi præstantissimæ tempestivæque curandi Methodi consideratione feci. Ut proinde quæstio, quo putabat *Trallesius* modo, a me proponi non potuerit, cui mens unice erat id meam thesin probando evincere, quod insitio adeo insons, & inculpata non esset, quam quidem ad eandem commendandam plurimi Inoculi-

culiſtarum ubique jactitent. Non diffiteor tamen quæſtionem evidentius meam mentem expreſſuram fuiſſe hoc modo: *Raræne ab Inſitione Mortes?*

Tertio. Sicco pede tranſire nequeo, quæ in hac eadem Sexta Quæſtione examinanda, Vir egregius, a pag. 141. ad 151. adeo ſapienter adverſus *Condaminii* problema arithmeticum urget. Obtutu ſcilicet politico iſtud problema valere, dum Principi parum interſit quinam pereant, modo pereant pauciores. Principem itaque poſſe, ſi ab inoculatione minores numero pereant, problema iſtud admittere; haud vero privatum quemcumque civem, cui filius haud minus, quam Regi ſuus, carus ſit, & apud quem multum interſit filiusne ſuus moriatur, an alienus. Quod reſponſum vellem ad 7. quæſtionem quoque dediſſet. Si enim apud quemque privatum hominem

nem multum differat propriusne filius ſit, qui moriatur, an alîus ſibi ignoti; etiam plurimum intereſt eidem prolesne ſua, an aliena, in extremam Extenuationem ab Inoculatione incidat, in perpetuam Claudicationem, in annoſa moleſtaque Ulcera, in incurabiles fere Hæmorrhagias, in Abſceſſus horrendos, in Scrophuloſam Diatheſin, &c. eo quod hæc ad munia quæcumque obeunda, ſæpe ad generationem, illos reddant ineptos.

Dum porro ſic loquitur clarus Autor de Principe, politicè hoc negotium conſiderante, reor eum in abſtracto a Chriſtianiſmo loqui velle. Novi enim id minime illius eſſe principium Chriſtiano Principi licitum eſſe populorum ſuorum incremento ſic ſtudere, ut ejus cauſa quosdam, ceterum forte ætatem victuros, aut immolaret, aut ſaltem perire ſineret.

Sed

Sed perirent forte, ais, a naturalibus variolis, multoque cum iis plures. Bene ais, *forte*: quod ſi contingeret, non humana opera, ſed inevitabili ſorte, ſeu potius DEI juſſu, perirent.

Evidentius fit eam mecum Cl. *Tralles* mentem fuiſſe, dum pag. 138. Patrem *Haganum*, qui inoculatione filium *Londini* amiſerat, comparans cum Patriarcha *Abrahamo*, qui in *Moriam* proficiſci, & *Iſaacum* immolare a DEO juſſus, domum cum filio rediiſſet, bene notat comparationis diſparitatem: ſiquidem *hicce* Pater Credentium filium, DEI mandato, immolaturus fuiſſet; " at miſer *ille* Pater, inquit, „ nulla vocatione divina accepta, non „ ſine ſummo triſtitiæ affectu *Hagam*, „ orbus filio ſuo, iterum repetiit ". Si enim id ita intelligit, ut unicum DEI mandatum turbatam conſcientiam pacet ſi affuerit, ſi defuerit, neuti-

tiquam; ſtatuit quoque Principibus nullum jus in vitam Subditorum competere, quam quod ipſi divinæ Leges concedant.

Quum ergo hoc ſit, quem veneror, Autoris principium, ad plura id adplicare potuiſſet, omnemque inoculationem ex eodem condemnare.

Quarto. Ad quæſtionem meam Octavam quæ ſic habet: *Nunquid non propagent inoculatæ contagium?* reſpondet eximius vir a pag. 161. ad 164. exp. *Tyſſoto*, qui ob inſitarum cum paucitatem, tum benignitatem, quodvis fere negaverat contagium: quod cum minime verum eſſe, & e contrario inſitivas ſæpe & copioſas & malignas eſſe, credere cogeretur, cenſuit Gordios inde nodos Inoculationi necti; quorum ſolutionem *Tyſſoto* relinquere, quam ipſe tentare, mavult. Argumentum autem *Cl^mi^ Tralles* contra lati-

tu-

tudinem propagationis variolosi contagii, ab illustri *Werlhofio* statutam, in eo quodammodo, ut mihi videtur, deficit, quod ex casibus a se visis, in quibus tot homines contagium contrahere potuisse, nec contraxisse tamen; postmodum vero ex causis, vix explicabilibus, idem contraxisse advertit; ex iis, inquam, casibus, æque confici potest, ut illo priore tempore hi homines necdum essent suscipiendo contagio apti, quam ut tale ferax contagium non detur, quale posuerat *Werlhofius*.

Quantamcumque autem operam *Cl. Tralles*, veluti patiens & sedatus inter litigantes judex, navat ad contagionis infamiam ab inoculatione abigendam, minime abegit tamen. Quotquot enim testimonia coacervat de non aucto ab insitivis contagio; qualecumque existimat eruditi *Schultzii* assertum,

quo hic contagium ab inoculatione minui potius, quam augeri ſtatuit, eo quod *Londini*, ejusque in confiniis, anno 1719. proximo ſcilicet ante acceptam apud Anglos inſitionem, a Variolis mortui ſint 3229. homines; & anno 1753. poſt tantam inoculationum crebritatem, tantummodo 774. hæc omnia, ſi quid video, non modo id non probant, quod omnes hi clari viri inde probari credunt, ſed potius cauſæ inoculatoriæ deſperationem.

Etenim ſi inoculationi tribuere debeo hanc *Schultzii* obſervationem, quam utinam tanti non feciſſet Ill. *Tralles!* cur nondum nota Anglis hac Praxi, *Londini* anno 1710. mortui ſunt a variolis 3138. homines, & anno ſequenti 915. duntaxat? Cur anno 1683. variolæ 2096. homines occiderunt, & anno proxime ſequenti 156. tantummodo? Utique a cauſa longe alia, quam ab inoculatione. Pro-

Profecto ſi Vir expertiſſimus *Schulzius*, antequam hæc ſcripturus eſſet, conſuluiſſet Londinenſe Necrologium, in quo patet ſub frequentiſſimis inoculationibus eo anno, qui proxime illum ſuum beatum annum ſequitur, 2393. homines in variolis periiſſe; in illo vero, qui felicem illum annum proxime præcedit, 3538. utique contagii decrementum ab inoculandi frequentia non derivaſſet, nec in errorem utcumque duxiſſet illuſtrem *Tralleſium*.

Fervor ſane tuendæ partis arripuit egregium *Schultzium* pari modo, quo anno 1752. Reverendiſſimum *Maddox*, Epiſcopum *Vigorniæ*. Hic enim quod forte obſervaſſet anno 1751. a variolis tantum 998. *Londini* periiſſe, anno vero 1750. recenſeri 1229. mortuos, pro ſuggeſtu exclamavit mortuorum a variolis numerum, præ inſitionum frequentia, una quinta fere parte decreviſſe:

viſſe: dum interim ipſe ille annus, quo ita peroraverat Epiſcopus, mortuos a variolis haberet 3538. plures nimirum, quam unquam ſpatio 67. annorum, quos Londinenſe Necrologium, ab Inoculatoribus nobiſcum communicatum, continet, obſervatum fuiſſet.

Igitur ipſo *Schultzii*, *Maddoxii*, Aliorumque, inito calculo, nos eodem jure concludimus augeri inoculando contagium, quo illi id minui. Sed ultra pergendum eſt. Pace tantorum Virorum dixerim jure longe potiore nos contagii augmentum concludere, quam illos decrementum.

Necrologium meum Londinenſe cum anno 1755. terminatur. Si retrogreſſus ſumam ab anno 1755. annos 22. inoculandi frequentia famoſos, invenio a variolis mortuos eſſe 43975. ſi ſumam deinde annos 22.

illos,

illos, qui immediate primum Anglicanæ insitionis præcedunt, mortuos inde habeo 36530. duntaxat.

Ergo tempore prodigiosissimarum numero inoculationum periere a variolis 7445. homines numerosiores, quam pari annorum numero, ante inductam insitionem; homines, inquam, plures quam $\frac{1}{6}$. Nec incuset forte quis majorem eo tempore mortalitatem, qua a cæteris quoque morbis longe plures morerentur, & a quorum malignitate variolæ fierent maligniores: etenim id Necrologium non affirmat: imo anno illo 1752. in quo a variolis periere 3538. non numerantur tot mortui tam a reliquis morbis, quam a variolis, quam anno illo felicissimo, de quo Reverendissimus *Maddox.*

Condonabunt proinde mihi *Angli* amici nostri, & optimus *Schultzius*, &

integerrimus *Tralles*, ſic argumentanti: Tot mille & mille homines inoculationem Londini ſubierunt per illos 22. annos, qui, ſecundum communem ſententiam, numerum horum, qui naturali contagio contrahere variolas potuerant, incredibiliter minuere debuerunt. Atqui numeros eorum, qui variolis perierunt, non decrevit, ſed increvit. Ergo, vel contagium naturalium variolarum notabiliter augetur inoculando; vel, plurimos eorum, qui inoculationem jam paſſi ſunt, variolæ ſecundæ aggrediuntur, & necant: vel, inoculatorum eſt multa ſtrages: vel omnia ſimul.

Datis tandem ad decem meas Quæſtiones reſponſis, Vir clariſſimus omnia reſumit, mentemque exponit ſic ſuam, ut metuat ne æque ſuis Amicis Inoculiſtis, quam mihi, diſpliceat. Quid de hoc ſuo metu cenſeam, pro-

feram

feram ingenuè, ubi quid ille de methodo inoculandi cogitet, paucis retulero. Primo concedit ea vere se habere sic, quemadmodum ego proposueram. Deinde ex enormi discrepantia tum variorum Insitionis Corryphæorum inter sese, tum singulorum a se ipsis, conficit id, ut longe plus periculi insitivæ variolæ involvant, quam vulgo aut asseritur, aut scribitur. Tertio recenset præcepta magnorum in arte inoculatoria virorum de non inoculandis infantibus infra quinquennium, nec adolescentibus intra 14. & 17. ætatis annum, raroque post annum 25. Affert multorum leges, juxta quas oportet eximi Athleticos, Plethoricos, Temperie calidos, biliosos; maxime vino si sint aromatibusque dediti. Juxta easdem vetari inoculationem hyeme & æstate. Esse quoque eximendos pueros nervo-

 sos,

ſos, valdeque irritabiles; cum maxume autem verminoſos, quos jubent verme liberare prius: id quam difficulter ſæpe efficiamus, verſatiſſimus ille practicus ultro agnoſcit. Itidem non Rachiticos; nullos tempore Morborum epidemicorum, ut febris inflammatoriæ, putridæ, &c. Nullos præterea Aſthmaticos, nullos Phthiſicos, nullos Hecticos; non Febre lenta laborantes, non ubi Ulcera interna, ubi Obſtructiones glandularum, ſeu Scrophuli, ubi Obſtructiones viſcerum poſt febres intermittentes, ubi Scorbutus, Scabies, Furunculi, Coryza, Dolor quiſcumque, Menſium ſuppreſſio, Menſes irregulares, Chloroſis, Cachexia, Icterica diſpoſitio, Graviditas, Puerperium, Mobilitas nervoſa, Lues venerea, ſive in Parentibus præſens, ſive ab iisdem tranſmiſſa in proles; non illos qui eadem de cauſa ma-

magnam vim mercurii in corpore habent; non vini, ejusque spirituum amatores; non omnino tempore Epidemiæ variolosæ; quamvis ejusmodi epidemia quandoque 15. 20. annis perseveret.

Ex his omnibus demum Spectatissimus Autor concludit ipsa præcepta clarorum in ea Methodo virorum ad insitionem dimidiam, tertiam, quartam, dixerim potius centesimam, Mortalium non admittere partem.

Liceat mihi hisce observationibus hanc unam addere! Si ab Inoculationis Promotoribus omnibus plurimam Mortalium partem ab hac operatione arcere jubemur, aderunt perpetuo homines plurimi variolis contrahendis obnoxii, contagium perpetuantes, spemque nobis, quam multi adeo faciles dederant, abigentes, fore, ut Variolæ demum cessent affligere genus

humanum; fore etiam ut inoculati ab alluente contagio naturali male non habeant nec pereant. Quid si præterea inoculati contagium augeant? Absensque illud præsens sistant? An igitur tantopere mirabimur publicas populorum clamores supremum ad examen commovisse Magistratum? Et an dignum non foret Principibus opus, tentamen Cl. Lugd. Professoris *Rast* ad minuendum contagium examinare? Sed ad rem.

His ita candide recensitis Cl. *Tralles*, ut supra monui, utrinque sibi metuere cepit, & in hæc ad me verba tandem erumpit: " Confido ea pro-
" pter te in veritate invenienda meam
" in Bivio stantis christianam inten-
" tionem, & animi candorem, cal-
" culo tuo dignaturum fore porro.
" Forte autem mihi ea nunc contingit
" infelicitas, ut tot inoculationis
" Ami-

„ Amici, Viri eximii, quibus non
„ minus, quam tibi, existimationem
„ & venerationem debeo, & exsolvo,
„ Te me haud idoneum controversiæ
„ arbitrum selegisse affirment, cau-
„ sam suam fortioribus armis tuituri;
„ Tu vero in omnibus valorem tua-
„ rum assertionum me non assecutum
„ esse quæraris, &c.

Quid amantissimi Antagonistæ mei Amici inoculatores ad hæc dicturi sint, facile mecum augurari potest. Erunt quippe inter illos, ut fit in rebus humanis, qui animo præoccupati, vix examinaturi ejus argumenta sint, eumque condemnaturi; quos, opinor, non morabitur. Erunt vero complures qui clari Viri vestigia prementes, in eodem, cum illo, bivio se collocabunt, ancipites plane utrum Inoculationem ultra sequantur blandientem, an vero horrificam fugiant. Hæc de

illis.

illis. Quid vero ego, id præſcire certus potuit. Quid enim niſi ſummis efferre laudibus Virum debui, qui quo Verum intimius atque expeditius contueretur, ad tempus totam veluti relinquit, cui adhæſerat, partem; ut quidquid ornaret vituperaretque eandem, liberius contemplaretur? Exemplo profecto haud minus imitando, quam admirando, & mihi, & omnibus, qui ex officio in Litigioſis verſantur, fuit, quo diſcat quisque, quem non damnabile ſtudium partium, non honores caduci, ſed DEI honos, Veritas, ac Reipublicæ ſalus, unice tenent, quî in hiſce ſe gerat oportet. Sicubi aſperiuſculum forte quidquam ipſi invito elapſum ſit, eodem animo, quo ille mihi, ego ipſi condono. Quod vero hinc inde me, in mea Sparta ornanda, nonnihil aut minus recte intellexiſſe, aut

repo-

reposuisse, blande insinuet, est sane ob quod immensas ipsi debeam grates. Errare humanum est; nolle corrigi diabolicum. Qui id mihi ostenderit *Trallesius*, vel ob id unicum, si non ob alias causas bene multas, dignissimus profecto est, quem veneratione eximia, quem amore fraterno, quem amicitia colam perenni.

Nihil ea moror, quæ a pag. 232. ad 241. Vir perillustris habet de incertitudine multarum in Medicina rerum; cum in hoc argumento pertractando alterum & quartum hujus Operis caput impenderim. Suos habet ars limites nostra; quos ultra citraque tendere nefas. Neque propterea ars nulla habenda est, sed præclara potius & saluberrima; arctioribus tamen, quam vulgus Medentium credit, circumscripta cancellis. Non aliam eam Tyronibus trado. Porro

quod in eadem ſæpe acriter circa res graves diſceptetur, id eo minus *Trallesio* miror, quo humanarum rerum conditionem attentius contemplor. Cur rarius in Arte noſtra, quam in illa ſacratiore, δεῖ καὶ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γίνωνται ἐν ὑμῖν? Aut ignavus eſt, aut Epicuri de grege porcus, aut ſuis commodis tantummodo, non Reipublicæ natus, qui Arti, quam profitetur, tuendæ devinctus, nihilo ſecius ſtudio famæ, commodi, emolumenti, vitæque tranquillæ, Naturæ ſuffocat ac Veri vocem.



P. S.

Prænobilis ac Clariſſimi Viri *Eberti*, Conſiliarii actualis Wurtenbergenſis, Regiique provincialis & urbani Phyſici Francofurtenſis ad Viadrum, teſtimonium, quod me propediem expectare pag. 296. innueram, tandem poſt diuturnas in itinere moras accepi. Teſtatur Vir Cl, ſe hunc ipſum Juvenem, juris Studioſum, nomine *Voelger*, ſive *Vulger*, annos circiter 23. natum, febricitantem 18. Aprilis 1761. reperiſſe, cum maculis rubris, cum dolore extremarum partium, ac præſertim Spinæ dorſi, & Lumborum: vidiſſe ſe die inſequente prorumpentas variolas, quæ copioſæ, ſine rubro circulo, depreſſæque manſerint, tandemque confluxerint: haud citra ſpem aliquam tamen, ob symptomatum tolerabilitatem. Die 23. Menſis ſe illum, bene ratione morbi habentem, commiſiſſe prudentis Chirurgi curæ, cum Rus, ad Virum nobilem vocatus eſſet; reducem vero poſtera die in urbem percepiſſe ſe, quod æger poſt bonam noctem, bonamque auroram, a ſubito Variolarum receſſu convulſus periiſſet. Hæc omnia, & in longum, germanice: finit autem latine Vir Cl. ſic: „ Sic teſtor, & quod om„ nia ſic ſe habuerint, mea ſubſcriptione, & ap„ preſſo ſigillo, iterum teſtor. Francofurti ad Viadrum 11. Aug. 1764.

Ad pag. 233. Teniæ humanæ portionem longam nunc tandem nactus, injectionem præ teneritu-

ritudine vasorum frustra tentavi. Id modo didici vas album per medium cujusque articulatæ partis longitudinem, Axis instar, decurrere, ex quo utrinque innumeri rami ad angulos plerumque rectos oriuntur, abeuntes in glomeres, & penicillos, non pervenientes autem ad extremam latitudinis oram, sed lineæ fere distantia ab ora utraque terminati. Infuso in medium vas lacte, laterales hi rami pulcra impletione turgebant; lac vero ex una portione vermis in aliam, seu, ut alii loquuntur, ex uno verme cucurbitino in alium, non transivit, eo quod vas dissiliret.

Margines hæ, seu oræ extremæ insecti, quas dixi a vasis non perreptari, fere pellucent, digitoque leniter frictæ ac pressæ, alba corpuscula ostendunt, quæ hac pressione ac frictione ex una articulatione in aliam, in tertiam, in sextam, & ultra adscendunt; ut inde pateat ad singulam articulationem non haberi singulare insectum, verum ex tot innumeris articulatis portionibus unicum insectum conflari.

Confirmatur hoc eodem experimento quod Cap. V. pag. 233. in canina tenia me fecisse narravi; nam & in hac humana tenia tenuissimum specillum, seu filum argenteum, duxi per vas longitudinale medium, sine ulla læsione, per tot articulatas portiones, per quot volebam.

Tan-

Tandem ſi conſideremus ſingulas portiones ab uno totius teniæ extremo eſſe latiores, ordineque exacte decreſcente pauxillatim fieri extenuatiores; ſic quidem, ut in longitudine plurium ulnarum poſteriores ſint fere dimidia latitudine prioribus anguſtiores; an probabile ſit tot centena inſecta, ordine nunquam læſo, ſic invicem jungi, ut a principio ad finem latitudo integræ teniæ æquabiliſſime decreſceret? Tenia humana in eo differt a canina, quod in illa latitudo pedetentim decreſcat, in hac plures æque latæ invicem connectantur portiones; deinde plures æque anguſtæ. Forſan tamen & in cane, & in homine, vermes a ſeſe in nonnullis differre, crebriore examine deprehendere poterimus.

Ad caput de Inoculatione. Vir Doctiſſimus, & maxime egregius Medicus *Du Moncby*, Inoculationis patronus, haud ita pridem inoculavit *Roterodami* duos filios Domini *Anderſon*, quorum alter ſaniſſimus, alter minus ſanus. Interim hic, minus ſanus ſcilicet, a paucis variolis convaluit, ille ab iisdem confluentibus periit. Paulo ante, eadem in urbe, puella inoculata a convulſione mortua eſt. *Amſtælodami* Matrona, quæ, quod inoculata eſſet, Marito variolas patienti intrepide inſervierat, nunc iisdem veris & legitimis decumbit, fere curata.

